

SEX

FABULAE

BREVES

de Anglico sermone in Latinum versae

ab

Bernice L. Fox


professore emerita

Monmouthiensis Collegii

**et editae ab
Thomas J. Sienkewicz**



Bernice L. Fox
Professor of Classics
Monmouth College
1947-1981



**SEX
FABULAE
BREVES**

de Anglico sermone in Latinum versae

ab

Bernice L. Fox

professore emerita


Monmouthiensis Collegii

**et editae ab
Thomas J. Sienkewicz**

Six Short Stories

translated into Latin
by Bernice L. Fox
and
edited by Thomas J. Sienkewicz

Copyright © 1990
by Bernice L. Fox and Thomas J. Sienkewicz



Monmouth College Publishing
Monmouth, Illinois

**CARISSIMIS
AMICIS ADIUTORIBUSQUE
DEBOW ET KITTY FREED**

Table of Contents

Acknowledgements	vi
List of Plates	vii
Biography of Bernice L. Fox	viii
Introduction by Thomas J. Sienkewicz	x
Experimentum Heideggi Medici ("Dr. Heidegger's Experiment") by Nathaniel Hawthorne	1
Tres Ignoti ("The Three Strangers") by Thomas Hardy	13
Monile ("The Necklace") by Guy de Maupassant	35
Donum Magorum ("The Gift of the Magi") by O. Henry	48
Vita Valteri Mitti Arcana ("The Secret Life of Walter Mitty") by James Thurber	58
Tres Viri Mundani ("Three Wise Men") by Paul Farrier	65
Appendix: Duo Cantus Festi	69
General Vocabulary	74

Acknowledgements

The translator and the editor would like to express their thanks to the many people who have made possible this *libel-lum*. These include Pat Odendahl, who read some of these stories for many years with her students at Monmouth High School; Julia Sienkewicz who prepared some of the illustrations; Daryl Carr of the Monmouth College Computer Center for his technical assistance; and Dr. Andrew Adams, MC '66, for his many useful comments and suggestions.

List of Plates

Bernice L. Fox	Frontispiece
Nathaniel Hawthorne	2
Thomas Hardy	14
Guy de Maupassant	36
O. Henry	49
Paul Farrier	66

Bernice L. Fox

Born in Ashland, Kentucky, on February 19, 1911, Bernice L. Fox was graduated **magna cum laude** from Kentucky Wesleyan College in 1932 with a Bachelor of Arts degree. She received a Master of Arts degree from the University of Kentucky in 1934. At the outbreak of World War II, Miss Fox cut short her work towards a Doctor of Philosophy in English at Ohio State University and became the first woman in the Midwest to be used as an airport weather observer, at Port Columbus in Columbus, Ohio.

In 1947 she came to Monmouth College as an assistant professor in the Department of English. In 1952 she was promoted to the rank of associate professor and was given some teaching duties in the Department of Classical Languages. In 1956 she was instrumental in establishing at Monmouth the Gamma Omicron chapter of Eta Sigma Phi, the National Classics Honorary Society. She served as President of the Illinois Classical Conference in the academic year 1963-1964 and as chair of the Department of Classical Languages between 1970 and 1981. Eventually she was promoted to the rank of full professor.

During her career at Monmouth Miss Fox gradually moved from English to Latin and became the mainstay of the Classics program at the college. She traveled frequently to classical sites and twice participated in the Vergilian School summer sessions. In 1967, together with Dr. Garrett Thiessen, Professor of Chemistry at Monmouth, she published privately Paraphrases from the Latin Poets, a collection of translations from the ancient authors. In 1976 she translated Henry Van Dyke's Story of the Other Wise Man as Fabula de Quarto Mago.

Since her retirement from active teaching in 1981, Miss Fox has completed Tela Charlottae, a translation of E. B. White's Charlotte's Web, which will be published by Harper and Row in 1991. She is also working on an elementary Vergilian Latin grammar with Thomas J. Sienkewicz.

Introduction

The translation of these six stories into Latin probably begins in 1960 with the publication of Winnie Ille Pu, Alexander Lenard's Latin translation of A.A. Milne's classic children's book. Much to everyone's astonishment, Lenard's translation became a best-seller and inspired a growing list of Latin translations of modern literature, including Clive Harcourt Carruthers' Alicia in Terra Mirabili (1964) and C. J. Hinke and George Van Buren's Magus Mirabilis in Oz (1987).

Dr. Lenard's popularity even reached Monmouth, Illinois, where Bernice Fox was teaching Latin and English. As president of the Illinois Classical Conference in 1963-64, Miss Fox was faced with the pleasant task of finding a guest speaker. When her first choice, Robert Graves, turned her down, she optimistically wrote to Dr. Lenard through his U.S. publisher, E. P. Dutton & Co., to see whether he could give a presentation. Little did Miss Fox dream that her letter would be forwarded to Dr. Lenard at his home in Brazil or that he would immediately accept the invitation. Lenard's visit to Illinois included a three week sojourn at Monmouth College where he lectured as a visiting scholar. He and Miss Fox also became fast-friends and life-long correspondents.

Her acquaintance with Lenard undoubtedly encouraged Miss Fox in her own forays into translation, including Fabula De Quarto Mago, a Latin translation of Henry Van Dyke's "The Story of the Other Wise Man," and Tela Charlottae, based upon E. B. White's Charlotte's Web.

This little volume brings together Miss Fox's translations of six short stories. Five of these have been well-known to the English reading public for a long time and can be found in any number of

anthologies. The sixth, "Three Wise Men" by Paul Farrier, was originally written in English but never published. It appears for the first time in this volume. In an appendix there are Latin translations of two popular Christmas pieces, "Rudolph the Red-Nosed Reindeer" by Johnny Marks, and "Twas the Night Before Christmas" by Clement C. Moore. It is especially fitting to have a Latin version of the latter, since Moore was, himself, a Classical scholar.

Nathaniel Hawthorne (1804-1864), the author of The Scarlet Letter and The House of Seven Gables, is often considered the greatest American fiction writer of the 19th century. His short story, "Dr. Heidegger's Experiment", was published in 1851 as part of a short story collection called Twice-Told Tales. "Dr. Heidegger's Experiment" is a variation on the quest for the fountain of youth. It is the tale of an old physician and the youthful, amorous rivalries of his four friends.

Thomas Hardy (1840-1928) is the only British author represented in this anthology. Hardy is well-known as both a poet and as a novelist and his works include Far From the Madding Crowd (1874) and The Return of the Native (1878). "The Three Strangers" first appeared in 1883 and was later included in Wessex Tales (1888). The plot of this story centers on the unexpected arrival of three strangers at a christening party in honor of the daughter of an English shepherd and his frugal wife.

Guy de Maupassant (1850-1893), a disciple of the novelist Gustave Flaubert, was a French writer of short stories and novels. "The Necklace" ("La Parure") is widely considered to be the most perfect short story written in any language. In creating her Latin version of the story, Miss

Fox was working from an English translation by Majorie Laurie. The plot of the story centers around the desperate effort of a middle-class French couple to repay the loss of a friend's diamond necklace only to discover after years of sacrifice that the lost piece was only a paste imitation.

O. Henry is the pseudonym of William Sidney Porter (1862-1910), a prolific American author of short stories. "The Gift of the Magi," with its emphasis on ironic coincidence, is, in many ways, typical of O. Henry's works. The story illustrates the selfless devotion of a pair of poor newlyweds who each sacrifices a most cherished possession in order to purchase a Christmas gift for the other.

James Grover Thurber (1894-1961), is best known as an American humorist and cartoonist. "The Secret Life of Walter Mitty" is probably his most familiar work and focuses around the heroic daydreams of a pitiable hen-pecked husband.

Paul Farrier (1894-1970), professor of English at Kentucky Wesleyan College (1920-1936) and Dean of the College (1928-36), met Bernice Fox while she was a student at the college between 1928 and 1932. During this period Dr. Farrier gave Miss Fox a copy of a short story he had written called "Three Wise Men." While this story, to my knowledge, has never been published in English, it ought to have been. Its open ending parallels that in Frank R. Stockton's "The Lady or the Tiger?" The reader of this story is left to wonder which of the three men the woman chose as her husband. When Bernice Fox asked Dr. Farrier for the answer to this question, he replied: "You

should know that better than I. For which quality **does** a woman want to be most admired?" Many years later, when I asked Miss Fox how she would answer the question, she said that she thought most women would prefer to be like the beautiful woman in Paris but **she** would rather be remembered as the intellectual woman in London.

Why did Miss Fox choose, from the thousands that have been written, to translate these unrelated short stories? Her only criterion was that these were among the stories she had found most enjoyable among the hundreds she had read and taught during many years as a student and as a teacher.

But you might ask: "If these stories can be read in English, why translate them into Latin? Indeed, why translate anything into a dead language like Latin? Wouldn't it be just as practical to translate these stories into Sanskrit or Cornish?" These are good questions and the answers lie in the history of Latin and its influence on western civilization. For centuries following the fall of Rome, the Latin language remained the language of the educated and anything worth writing was written in Latin rather than the vernacular. Scientists, in fact, continued to write in Latin as late as the 18th and 19th centuries. Some medical textbooks were even written in Latin in the 20th century. It was the poets, not the scientists, who led the way in the use of common languages instead of Latin for written communication. Such Renaissance figures as Petrarch and Dante in Italian and Chaucer in English showed how their native languages could be used for literary purposes and it was not long before European authors wrote not in Latin but in French or Italian or German or English. Some basic Latin texts even had to be translated into the vernacular. Besides

such important translations of the Bible as Luther's into German and the King James Version in English, translations of other Latin texts began to appear, like John Dryden's 17th-century translation of Vergil's Aeneid or translations of scientific works originally written in Latin including those of Nikolaus Copernicus or Isaac Newton.

At the beginning of the twentieth century most British and American high school children still studied Latin. By the end of the century, however, the study of Latin has become the experience of a privileged few. Is it, then, futile to translate short stories such as these into Latin when so few can read them? I think not. The act of translating foreign-language works into Latin is at least as old as the first Latin version of Homer's Odyssey, a translation done by a slave named Livius Andronicus in the third century B.C. While Latin is no longer a living, spoken language, it nevertheless remains a language which has had a great deal of influence on our own tongue. While native Latin literature ceased to be written about the time of the fall of Rome--whenever historians wish to date that event, the Latin language is still capable of expressing modern ideas. Lenard certainly proved that with his translation of Winnie Ille Pu. Miss Fox continues this proof with these translations. At the least there is the challenge of expressing in Latin objects and ideas completely foreign to the ancient world, ideas like "parking lot", which Miss Fox translates as **area vehiculorum**, or "mailbox" (**capsa epistulis**) or "airplane" (**vehiculum aerium**).

These translations may also be useful to beginning readers of Latin who can improve their reading skills and increase their self-confidence by reading in Latin stories they have already read in English. For this reason Miss Fox has provided a vocabulary at the back of the book.

Those readers comparing these translations to the original should be aware of the fact that these are not always word-for-word translations. Miss Fox has sometimes omitted or condensed passages which would inhibit the flow of the story in Latin. This is especially true of long descriptive sections. Nowhere, however, is the essential idea of the original story changed.

These translations also offer us another opportunity, the chance to look at something familiar in a different way. How often do we take for granted everyday objects and only become aware of them when their appearance changes slightly? The next-door neighbor might have a handsome smile, but you might not notice it until he wears a different hat one day. So, too, with these short stories. As often as you may have read O. Henry's "Gift of the Magi," I am sure that reading it in Latin will draw your attention for the first time to details you never noticed while reading it in English.

Miss Fox thus helps us become more acquainted with old friends. At the same time she reminds us that Latin can still, in its own way, be a living language, one which has a lot to offer even at the end of the 20th century.

Thomas J. Sienkewicz
Capron Professor of Classics
Monmouth College

EXPERIMENTUM HEIDEGGRI MEDICI

a Nathaniel Hawthorne



Nathaniel Hawthorne
1804-1864

EXPERIMENTUM HEIDEGGRI MEDICI

a Nathaniel Hawthorne

Olim ille senex sui generis, Heidegger Medicus, iv amicos graves ad bibliothecam suam vocavit. Erant iii viri canis cum barbis (Medburnus Dominus, Killigrus Praefectus, Gasconus Dominus) et femina rugosa, quae Vicherlia Vidua vocata est. Omnes erant homunculi tristes vetulique, quorum illæcebrae interierant. Fas erat eos iamdudum mortuos esse. Medburnus, in viribus suis, mercator beatus fuerat, sed omnia in mercaturis incautis effuderat, et nunc erat parum melior quam mendicus. Killigrus Praefectus annos optimos et valetudinem et opes in voluptatibus sequendis consumpserat, quae multos dolores non solum podagram sed etiam cruciatus alios et animi et corporis creaverant. Gasconus fuerat vir rei publicae, cuius fama improba fuerat quoad tempus recognitionem eius abdiderat, et obscurus pro infami factus est. De Vicherlia Vidua—eam aetate sua fuisse pulcherrimam traditum est, sed diu in solitudine tota iam vixerat propter quosdam rumores malignos qui eam suspectam ab hominibus honestis fecerant. Notandum est hos tres viros fuisse amatores viduae priores et quandam propter eam alium haud multum abfuisse ab iugulo alterius secando. Antequam amplius narro, aliquid in aure dicam: neque medicus neque iv hospites apud se esse habitu sunt. Sic saepe fit quando senes adversis instantibus aut memoriis acerbis vexantur.

“Amici cari,” dixit medicus, ut assiderent innuens, “auxilio vestro uti volo in una ex illis nugis in quibus hic in bibliotheca ludo.”

Si rumores veri sunt, bibliotheca medici erat locus mirus. Erat conclave obscurum antiquumque, atque aranea et pulvis

passim inveniri potuit. Iuxta parietes erant aliquot foruli roborei, quorum peggmata inferiora et libris magnis et eis in quarto completa sunt; peggmata superiora libellos membraneos tenuerunt. In mediis forulis, imago capitis Hippocratis aenea locata est, quacum, ut dicitur, quotiens morbo gravi mederi conabatur, medicus loquebatur. In angulo conclavis obscurissimo stetit armarium altum et roboreum, cuius foris paulum aperta erat ut intra armarium ossa humana iuncta incertum videri possent. Etiam inter duos forulos speculum pulvereum pependit, quod in forma inaurata atqui decolori inclusum est. Inter fabulas multas mirasque quae de hoc speculo narrantur, una dicit manes horum quos medicus curare non potuisset intra marginem habitavisse et oculis defixis eum spectavisse quotiens speculum aspiceret. In pariete adverso erat pictura totius figurae feminae, quae in veste ex serico facta, filis aureis et argenteis intermixtis, induita est. Vultus feminae et vestis decolori splendore luxit. Abhinc quinquaginta et pluribus annis hic medicus eam in matrimonium ducturus erat. Sed ea languens formulam medicamenti quae ab amatore suo parata erat consumperat, et vespere diei nuptiarum mortua erat. Res notabilissima quam conclave continuit erat liber ingens, qui tegmen ex corio factum et fibulas argenteas habuit. Cum nihil in tegmente scriptum esset, nemo titulum scire potuit. Sed satis constitit hunc librum artes magicas docere.

Semel, eo sublato ab ancilla quae pulverem detergebat, ossa quae in armario erant crepitaverant, femina florens pede uno ex pictura gressa erat, et plures vultus exsangues in speculo se ostenderant. Etiam caput Hippocratis aereum intonaverat, “Parce!”

Haec erat bibliotheca Heideggri Medici. Hoc die mensula in forma orbis facta et tam nigra quam ebenus in medio conclavi stetit. In ea sedebat vas ex vitro caelato factum. Pulcherrima erat in forma arteque. Per fenestram inter vela ex textili denso facta, quae palluerant, lux solis huic vasi affulsit ut vultibus quinque

senum qui circumsederent splendorem mitem daret. In hac mensula quattuor pocula posita erant.

“Amici carissimi,” medicus dixit, “licetne mihi auxilio vestro confidere in experimento mirissimo efficiendo?”

Cum hospites eum loquentem de hoc experimento audirent, nihil magis quam caudem muris aut microscopio probationem aranei aut aliquid nugarum earundem praeceperunt, quibus molestias amicis suis afferebat. Sed medicus per conclave claudicavit et illum librum ex corio atro tectum reportavit, quem librum vulgus magicum vocavit. Fibulis laxatis, medicus librum pandit et inter quasdam paginas erat rosa aut aliquid quod rosa antea fuerat. Nunc flos ruber foliaque viridia fulva facta erant, et flos priscus in manibus medici in pulverem resoluturus esse visus est.

“Haec rosa,” dixit medicus suspirans, “hic flos resolvens marcensque abhinc lv annis erat pulcherrimus. Ab Sylvia cuius pictura istic pendet mihi datus est, et eum in veste meo die nuptiarum positurus eram. lv annos cum amore in hoc libro antiquo eum servo. Putatisne eum nunc reflorescere posse?”

“Somnia!” exclamavit vidua iracunda, caput suum agitans. “Fieri non potest magis quam facies anus rugosae iterum florere potest.”

“Ecce,” respondit medicus. Vas detexit et rosam pallentem in aquam vasis iecit. Primum in summo liquore iacuit quasi nihil umoris conciperet. Mox autem mutatio egregia coepit. Flos tritus siccatusque se movebat et rubesceret quasi rosa ex sopore qui similis morti esset revivesceret. Stirps tenera et folia viridia iterum fiebant. Illa rosa sata abhinc pluribus quam l annis visa tam nova quam fuerat cum Sylvia eam amatori dedisset.

“Certe erant praestigiae vafrae,” dixerunt amici medici

sine studio magno propterea quod miracula maiora inter spectacula magorum antea viderant. “Quomodo eas res effecisti?”

“Nonne Fontem Iuventutis audivistis?” rogavit medicus, “quem Ponce de Leon, audax homo Hispanus, abhinc duobus aut tribus saeculis quaerebat?”

“Num Ponce de Leon hunc invenit?” dixit vidua.

“Non invenit,” respondit medicus, “propterea quod in loco recto numquam quaesivit. Fons Iuventutis, si de hoc vere doctus sum, in Florida Australi apud Lacum Macaconem locatur umbraturque magnoliis multis et ingentibus. Hae, etsi satae abhinc saeculis innumerabilibus, propter hanc aquam miram tam novae quam violae remanent. Quidam socius, studium meum in rebus huius modi sciens, liquorem mihi misit quem in hoc vase videtis.”

“Oh,” dixit Killigrus Praefectus qui fabulae medici haud omnino credidit; “et quid in corpore humano hic liquor efficere potest?”

“Tibi decernes, praefecte care mi,” respondit medicus; “et vobis omnibus, amici graves, tantum liquoris quantum requiratis ad iuventatem restituendam potare licet. Mihi in senescendo dolores tam multi erant ut iuventatem non desiderem. Si vobis molestiae non erunt, quid fiat modo spectabo.”

Dum loquitur, medicus aqua ex Fonte Iuventutis iv pocula complevit. Bullae parvae subibant et in aspergine nivea rumpebant. Liquore odorem iucundum emittente, senes saporem eius exquisitum esse non dubitaverunt. Viribus eius mirabilibus non creditis, avidi autem potare erant. Sed medicus ut morarentur hortatus est.

“Antequam potatis, amici graves,” dixit, “decus est, vita semel acta, vos praecepta pauca componere ad pericula iuventatis fugienda. Triste sit si, post peritiam longaevi, exempla virtutis pietatisque iuvenibus praesentibus non fiatis.”

iv amici nihil responderunt, risu tenui excepto, propterea quod tam ridiculum visum est eos, scientes quam celeriter poenitentia errorem sequatur, iterum erraturos esse.

“Ergo potate,” dixit medicus. “Gaudeo me tam bene legisse ministros experimenti mei.”

Trementibus cum manibus pocula ad labra sustulerunt. Liquor, si erat tam potens quam medicus dixit, iv hominibus egenioribus dari non potuit. Visi sunt enim quasi iuventatem aut iucunditatem numquam cognovissent sed in senio Naturae Matris iam senes decrepitique nati essent. Ne spes iuventatis quidem eos commovere visa est. Aqua potata, sine studio pocula mensae iterum imposuerunt.

Deinde hospites hilariores facti sunt quemadmodum fit cum homines vinum optimum potent. Etiam genae eorum colorēm roseum nunc habuerunt. Ora pallorem amiserunt qui eos quasi mortuos fecerat. Alius alium spectabat et putare coeperunt vim magicam rugas delere quas Tempus Pater in faciebus suis incidisset. Vidua pileum suum composuit propterea quod se iterum esse feminam veram paene sensit.

“Plus huius aquae mirae da nobis,” clamaverunt cupidi. “Sumus iuniores sed tamen senes. Celeriter--nobis plus da.”

“Ne avidi este,” dixit medicus, qui cum tranquillitate philosophi cursum rerum observabat. “Senes lentissime facti estis. Certe aequo animo ad iuventatem recipiendam semihoram

morari potestis. Atqui aqua usui vobis est."

Pocula hoc liquore replevit. In vase satis aquae remansit ut dimidia pars hominum qui in urbe habitabant ad aetatem nepotum reverti posset. iv hospites pocula eripuerunt et aquam hauserunt. Simul oculi eorum nitescebant. Comae canae fuscae fiebant. Circum mensulam sedebant—tres viri qui in aetate media erant et femina quae ultra florem vitae vix erat.

"Vidua cara, es bellissima!" exclamavit praefectus, qui oculis defixis faciem eius spectabat dum umbrae senectutis e conspectu fugiunt ceu tenebrae prima luce aurorae rubescentis.

Vidua pulchra iam dudum novit verba honorifica praefecti non semper esse verissima. Ad speculum itaque cucurrit, metuens se visuram esse faciem anus foedam. Interea tres viri aut aqua ebrii aut leves animi facti sunt propterea quod onus annorum ex eis subito sublatum erat. In mente Gasconi Domini res civiles esse visae sunt, sed utrum rationes eius ad tempora praeterita aut praesenta aut futura pertinerent discerni non potuit propterea quod rationes eaedam verbaque eadem 1 annos in favore populi fuerant. Iam de amore patriae, gloria nationis, iuribus populi plane garriebat; iam aliquid tam callide susurrabat ut conscientia animi occulta vix comprehendere posset; et iam officiosus loquebatur quasi aures regum auscultarent. Killigrus Praefectus interea carmen potationis cantabat et poculum leviter feriebat. Oculi eius ad formam viduae venustam vertebantur. Medburnus Dominus nummos computabat et aliquid muttiebat de glacie transportanda de polo in Indiam Orientalem cetis aptis stribus glaciei niviumque concretis. Vidua ante speculum stabat, se demittens et cum admiratione imagini suae arridens. Suum vultum ad speculum protrusit ut videret num quaedam ruga diu visa evanuisse. Perspexit num nix ex comibus satis diffluxisset ut pileum venerabile abicere posset. Tum celeriter aversa, levi cum gradu ad mensulam venit.

“Medice care,” clamavit, “da mihi, si vis, plus huius liquoris.”

“Certe, domina cara, certe,” respondit medicus. “Ecce! Pocula iam complevi.”

Quattuor pocula quidem hac aqua mira completa sunt. Aspersio huius aquae quasi gemmae scintillabat. Sol paene occiderat et conclave obscurius factum erat. Sed splendor mitis emissus ex vase iv hospites et medicum collustravit. Hic in sella alta et curiose insculpta sedit gravi cum magistrato simili Tempori Patri cuius potentia numquam negata erat, hoc circulo excepto. Dum hospites tertium poculum Fontis Iuventutis potant, facies medici mystica eos pavidos paene fecit.

Sed statim vita iuventatis nova per venas eorum ruit. Nunc iuvenes erant. Senectus cum curis, doloribus, morbis suis modo somnium visa est, ex quo laeti experrecti erant. Delectatio secura, quae tam mox amittitur et sine qua mundus fit nihil magis quam pictura diuturna et pallentissima, omnibus hospitibus illecebras iterum obtulit. Erat quasi renati essent in mundo renato.

“Iuvenes, iuvenes sumus!” cum gaudio exclamaverunt.

Iuventus, similis senectuti, mores aetatis mediae delevrerat. Nunc erant grex puerorum hilarium, propter lasciviam viduae paene dementium. Infirmitatem et tabem, quas nuperrime passi erant, irriserunt. Vester priscas suas deriserunt. Vidua ad sellam medici leviter iit. Vultus feminae erat hilaris.

“Medice, amice carissime,” clamavit, “surge et mecum salta!” Denique tres iuvenes cachinnabant, cogitantes quam ridiculus medicus esset in saltando.

“Amabo, mihi ignosce,” medicus tranquillis respondit.
“Senectus ossa mea rigida facit. Mihi tempus saltando iamdudum fugit. Sed quisquam horum virorum festorum et iuvenum erit laetus saltare cum puella ita pulchra.”

“Mecum salta, Clara,” clamavit praefectus.

“Ea mihi nubere pollicita est abhinc l annis,” vociferatus est Medburnus.

Omnes eam circumcluserunt. Alius ambas manus cepit; alius medium corpus complexus est; tertius manibus suis cirros eius prehensit. Erubescens, luctans, ridens, se liberare conata est. Numquam erat species certamenis iuvenalis vividior, femina pulchra praeda. Atqui propter tenebras quae erant in conclavi et vestes antiquas quas iam gerebant, in speculo visi sunt esse tres senes et cani et rugosi, qui circum anum foedam et aridam pugnabant.

Sed erant iuvenes; libido eorum hoc monstravit. Usque ad dementiam ardentes lenocinio puellae-viduae, quae neque cessit neque negavit, tres aemuli inter se minaciter spectare incepérunt. Iam praedam bellam tenentes, ferociter pugnaverunt. Dum huc atque illuc luctantur, mensula eversa est, et in mille segmenta vas fractum est. Aqua iuventutis pretiosa in flumine claro trans solum fluxit. Alas papilionis inroravit, qui senex fine aestatis ibi ad moriendum insederat. Leviter per conclave volitavit et comis canis medici insedit.

“Agite, agite, viri!—Age, Vicherlia Domina!” exclamavit medicus. “Hae turbae comprimendae sunt.”

Substiterunt et tremerunt. Visum est quasi Tempus Pater eos ex prato iuventutis aprico ad vallem senectutis frigidam et

obscuram revocaret. Spectaverunt medicum, qui in sella insculpta sedebat, rosam lannorum tenens, quam ex segmentis vasis fracti sustulerat. Motu manus hospites assidere iussit. Concesserunt propterea quod, etsi iuvenes, contentione sua defatigati erant.

“Rosa Sylviae misellae!” gemit medicus. “Iterum pallescere videtur.”

Hoc erat verum. Dum homines florem spectant, corrugabatur quoadusque tam siccatus et fragilis factus est quam primum in vas a medico iactus erat. Ex eo guttas paucas aquae in foliis adhaerentes medicus agitavit.

“Eam nunc amo non aliter quam in novitate roscida amavi,” inquit, rosam flaccam ad labra sua tollens. Dum dicit, papilio de capite eius volitavit et in solo cecidit.


Hospites iterum tremuerunt. Frigus insolitus sive corporis sive animi per omnes gradatim serpsit. Alius alium spectavit et senserunt momentum temporis omne ex eis amoenitatem eripere et rugam altam imponere in quibus locis nullae antea fuissent. Eratne imago falsa? Num spatio tam brevi mutationes aetatis fuerant condensae? Erantne nunc quattuor senes, cum amico seni, Heideggero Medico, sedentes?

“Senesne iterum sumus tempore sic brevi?” maesti exclamaverunt. Hoc quidem verum erat. Aqua iuventutis potentiam fugaciorem vino habuit. Bona quae creaverat evanuerant. Cum tremore qui eam etiamnunc esse feminam monstravit, vidua manus osseas ad vultum suum posuit et voluit has operculum arcae esse cum non diutius pulchra esse posset.

“Certe, amici, senes iterum estis,” dixit medicus. “Et aqua iuventutis in terra dilapsa est. Atqui non lugeo. Si Fons in limine meo exundaret, me non demitterem ut labra lavarem, etiamsi bona multos annos pro momentis manerent. Hoc mihi docuistis.”

Sed iv amici medici sibi hoc non docuerant. Protinus statuerunt se ad Floridam ituros et Aquam Iuventutis potaturos esse—mane, meridie, noctu.


FINIS



BLF

TRES IGNOTI

a Thomas Hardy



Thomas Hardy
1840-1928

TRES IGNOTI

a Thomas Hardy

Unum ex paucis Brittaniae rusticis quae tempore praeterente paulum mutata esse videantur est prata herbosa quae areae ovibus nominantur. Quidam pagi meridiani prata eiusmodi multa habent. Si vestigium vitae humanae ullum hic apparat, plerumque est una casa, domus pastoris.

Abhinc 1 annos casa eiusmodi in prato eiusmodi locata est—forsitan adhuc ibi est. Secreta esse visa est, sed vere oppidum pagi non aberat magis quam v milia passuum. Haud multum autem retulit. Tempestate iniqua, quae pluviam et nivem et grandinem et caliginem fert, v milia passuum satis sunt ut Timoni aut Nebuchadnezzari solitudinem dent; atque in locum eiusmodi poetae et philosophi et artifices et cogitatores raro veniunt ne tempestate quidem serena.

Castris terreis et antiquis aut arboribus densis aut saepibus priscis homines uti solebant quando has casas misellas struerunt. Atqui huic casae erat nihil ex his. Corvigradus Altiores, ut casa nominata est, steterunt separata nudaque. Hic structa esse visa est propterea quod alia aliam semitam ibi transiit. Forsitan d annos hae semitae ibi fuerant. Igitur latere omni casa aperta erat. Sed, quamquam ventus pluviaque eam verberare poterant, in hoc loco hiemes non erant tam graves quam illae fictae ab habitantibus in valle. Hic gelicidia erant haud tam acria quam in valle. Pastor uxorque in hac casa habitantes dicebant se gravidines rariores passos esse quam ubi prope rivum habitavissent.

Hac nocte, antequam pluvia cadere inceperat, hospites pervenerant et in atrio domus omnes convenerant. Si quis illud

atrium nunc aspexisset, hoc commodissimum esse in tempestate tam aspera conclusisset. Negotium domini erat perspicuum propter multa peda (sine baculis)—alia erant antiquissima, alia recentissima. Atrium lucem accepit ex sex ceris, quibus pastor, fériis et dapibus festivis exceptis, numquam usus est. Duo ex ceris iuxta focum erant—alia ab dextra, alia ab sinistra. Ceras iuxta focum habere convivium semper indicavit. Et in foco ardebant vepres crepitantes ceu cachinnus stulti.

Homines xix hic convenerant. Ex his feminae v, in coloribus vivis induitae, in sellis prope parietem sedebant. Puellae modestae et haud ita modestae subsellia quae erant sub fenestra occupabant. Et viri alia subsellia insidebant. Inter hos erat Iohannes Urna, sacer pastoris. Omnes laeti visi sunt. Quisque scivit alios sibi amicissimos esse, et nemo sollicitus est de procedendo in honoribus aut de aliquo gravi audiendo aut de aliquo egregio agendo (de omnibus quae plerumque comitatem virorum corrumperet evidentur, pauperrimis ditissimisque exceptis).

Fennel Pastor in coniugio suo fortunatus erat. Uxor erat filia lactearii, quae secum aliquantum pecuniae tulerat—quam servabat ut liberi futuri sui eo uterentur. Haec femina attenta de ratione convivii sollicita erat. Convivium in quo omnes sedent semper efficit ut viri nimium potent; saltatio autem famem auget ut omnes nimium essent.¹ Tempora ad saltandum et loquendum brevia Fennel Pastora alternare decrevit. Uxor sola hoc consilium habuit; pastor ipse hospitium libenter praebere voluit.

Fidicen erat puer vicinus, annos fere xii natus, qui fidem scitissime canebat quamquam digitii erant breves et soni musici nonnumquam erant haud subtilissimi. Hora septima post meridiem puer canere incepit. Et Eliiah Novus, praecentor parochialis,

¹ From *edo.* (BLF).

alium instrumentum musicum etiam cecinit. Statim omnes saltare inceperunt. Fennel Domina musicos clam monuerat ut nullo modo sinerent saltationem produci magis quam xv momenta temporis.

Sed Eliiah puerque monitum obliti sunt. Praeterea unus ex saltatoribus, qui annos xvii natus est, musicis paulum pecuniae ultro dederat ne canere cessarent propterea quod quam diutissime vellet saltare cum socia sua, femina xxxiii annorum. Fennel Domina, quando saltatores sudare videntur, musicos tacite reprimere conata est. Sed ei operam non dederunt. Palam intercedere nolens ne haud liberalis hospes videretur, recessit et inops resedit. Itaque saltatio alacris producta est dum hora una praeterierat.

Dum haec festivitas in hoc domicilio rustico fit, ad Corvigradus Altiores homo solitarius collem ascendebat. Per pluviam sine mora ambulabat, semitam quae prope domum Fennel tetendit sequens. Luna paene completa, quamquam pluvia caderat, vir videri potuit. Satis alacer ad celeriter movendum sed non iuvenis visus est. Fere xl annos natus est, ut visum est. Propter tenuitatem, procerus visus est, sed proceritas eius probabiliter erat non magis quam pedes v et unciae viii aut ix. Gradus eius erat constans sed cautus. Et quamquam in vestimentis crassis et peronibus gravibus indutus est, patricius neque plebeius visus est.

Quando ad casam pastoris appropinquabat, vi maxima pluit. Gradum stetit, circumspectans. Tectum quod facillime videri potuit erat hara vacua quae in angulo horti locata est, nam in hac regione nemo partes fundi foediores post frontem amoeniorem celare conatus est. Hanc haram videns, viator ad eam se vertit. Hac vacua, sub tecto stetit ut contra pluviam se defenderet.

Dum hic stat, musicam in casa audire potuit, sonus cuius mixtus est cum sono pluviae, quae terram et brassicas horti et

alvos viii aut ix verberabat. Etiam pluvia ab tectis in situlas fluebat propterea quod omnes in hac regione habitantes vix satis aquae habuerunt.

Postremo musica desivit et, domo silentie, viator solitarius ex hara excessit et ad casam ambulavit. Quando hic pervenit, ad genua se demisit et ex una situla perbibit. Deinde surgens, manum ad forem pulsandam sustulit. Sed moratus est et forem oculis defixis spectavit quasi per eam videre et quae copiae intra casam essent iudicare conabatur—etiam quomodo introitus suus eis copiis commoveretur.

Dum haeret, se vertit et circumspexit. Animalis nusquam visa est. Procul in valle taeniae albae flumina indicaverunt. Ultra vallem lumina lucernarum paucarum per pluviam fulserunt. Haec oppidum pagi indicaverunt ex quo viator venisse visus est. Propterea quod motus nullus illinc cerni potuit, forem pulsare decrevit.

Intra erat sermo varius pro saltatione musicaque. Faber lignarius cantum subiecerat quem nemo suspicere voluit; igitur pulsatio interpellationem haud ingratam tulit.

“Intra!” celeriter dixit pastor.

Pessulus crepitavit et ex tenebris viator noster apparuit. Pastor duas ceras proximas extinxit et ad viatorem spectandum se vertit. Ignotum vidit, fuscum et non indecorum. Petasus eius, quem non statim removit, oculos paene celavit, sed oculos nihilo minus visos ut magnos et sinceros et pertinaces.

Viator atrium celeriter circumspexit et id quod videret ei satisdare visum est. Petaso remoto, voce grata gravique dixit, “Tam graviter pluit ut me intrare et paulisper manere liceat petam.”

“Certe, amice,” dixit pastor. “Et hercule, tempore commodo venisti, nam convivio fruimur propter eventum gratum— sed eventum quod certe nemo vult fieri magis quam semel uno anno.”

“Neque minus,” interpellavit una femina, “propterea quod optimum est quam celerrime liberos parire ut dolor finiri possit.”

“Et quid est hic eventus gratus?” rogavit ignotus.

“Partus et baptisma,” dixit pastor.

Ignotus dixit se sperare pastorem hos eventus neque plures neque pauciores habiturum esse. Pastor poculum ei obtulit et ignotus id libenter accepit.

Gestus eius, qui ante introitum tam haesitabundus fuerat, nunc erat omnino remissus et liber.

“Nonne est serum ad vagandum in hac vicinia?” dixit quidam qui annos 1 natus est.

“Hora est sera, Domine, ut dicis. Prope focum assidam, si domina non negat, nam vestimentum meum est paulo uividum quo latere pluvia venit.”

Fennel Domina concessit et in angulo obscurō prope focum viator assedit, securus quasi domi fuisset.

“Recta es, habeo soleas tritiores,” dixit quando uxor pastoris perones oculis defixis spectavit. “Et vestimentum meum non est optimum. Aliquid difficultatis nuper habui atque eo quod reperire potuisse usus sum. Sed vestimentum melius mihi emendum erit quando domum pervenero.”

“Habitasne in hac vicinia?” rogavit uxor pastoris.

“Non—procul ad septentriones.”

“Hoc sensi. Ego etiam. Et sermone tuo ex vicinia mea venire visus es.”

“Sed de me certus sum te numquam audivisse,” celeriter respondit ignotus. “Tempus tuum quam meum est multum serius.”

Hic testis iuventatis quaestionem feminae finivit.

“Una sola delectatione careo,” addidit hospes, “--paulum tobaci cuius infeliciter egeo.”

“Infurnibulum tuum implebo,” dixit pastor.

“Etiam infurnibulo careo.”

“Visne fumum ducere sed tecum infurnibulum nullum habes?”

“Alicubi in via id amisi.”

Pastor novum infurnibulum impletum ei dedit, dicens, “Mihi da cistam in qua tobacum portas. Hanc implebo.”

In sacculis in veste assutis scrutari simulavit.

“Num illam etiam amisisti?” dixit pastor, paulum miratus.

“Ita,” dixit vir, aliquantum pudibundus. “In chartula torta mihi tobacum des.” Tobacum quod erat in infurnibulo cera

accendens, flammam totam penitus traxit. Deinde in angulo resedit quasi nihil plus dicere voluit.

Interea convivae ignoto operam non dabant propterea quod cum musicis de cantu proximo loquebantur. Canto lecto, ad saltandum surrecturi erant quando iterum aliquis forem pulsavit.

Hoc audito, vir qui prope focum sedebat rutabulum sustulit et favillam commovere incepit quasi hoc in vita sua erat maximum. Et iterum pastor dixit, "Intra." Mox alias vir in atrio stetit. Hic etiam erat ignotus. Sed hi duo inter se erant dissimilimi. Species huius erat ordinaria et gestus eius monstravit eum esse civem mundi totius festivum. Erat paulo senior quam ignotus primus. Facies erat obesa et flaccida; haec autem non erat sine viribus. Lacernam longam et cinereum reiciens, vestem cineraceam detexit. Sola ornamenta erant nomismata quae ab vinculo horologii pendebant. Petasum agitans ad guttas aquae removendas, dixit, "Mihi suffugium paulisper postulandum est, amici, aut usque ad cutem madidus fiam antequam Casterpontem pervenire potero."

"Te gere quasi haec esset domus tua," dixit pastor, fortasse paulo minus libenter quam ignoto primo salutem dixerat. Fennel minime illiberalis erat; sed atrium non erat magnum, et sellae non erant multae. Itaque comites madidi in atrio celebri non erant grati, feminis puellisque in vestibus coloriis indutis.

Viator secundus autem, lacerna remota, petasum in clavo peperdit quasi hoc esset ius suum. Deinde in atrium venit et prope mensam assedit. Ut spatium ad saltandum pararetur haec mensa ad angulum foci mota erat. Extrema mensa tetigit cubitum viri qui prope ignem sedebat. Itaque duo ignoti proximi erant. Inter se adnuerunt, et ignotus primus alteri poculum dedit. Hoc erat poculum ingens. Erat spadix, et labrum tactu labiorum multorum

tritum erat. In latere litteris luteis inscriptum est:

**LUSUS INCIPITUR
CUMM EGO PERVENIO²**

Ignotus secundus poculum ad labia sustulit et diu bibebat. Uxor pastoris moleste tulit quod ignotus primus secundo obtul-erat id quod non erat suum.

Magna cum voluptate potator pastori dixit, “Scilicet! Ante introitum meum, quando per hortum tuum ambulavi et alvos in ordine vidi, mihi dixi, ‘ubi apes sunt, mel est; et ubi mel est, mulsum est.’ Sed mulsum tam bonum his temporibus reperire non speravi.” Et iterum potavit.

“Tibi hoc gratum esse gaudeo,” benigne dixit pastor.

“Est mulsum bonum,” consensit Fennel Domina sine studio. “Sed in eo faciendo est tanta difficultas ut id nos iterum facturos esse non credam. Mel facile venditur et mulso mediocri quod ex favo factum est uti possumus.”

“O, sed cor tuum hoc non sinat!” exclamavit ignotus postquam poculum tertio sustulerat. Hoc tempore id exhaustus. “Quanto delector in eundo ad templum et in miseris iuvandis, tanto delector in mulso antiquo bibendo.”

Ignotus primus risit.

Mulsum illius temporis quod factum est ex melle puris-simo et ex aromatibus multis gustum potentem habuit, sed vis erat potentior. Ignotus, hanc vim sentiens, tunicam aperuit et in sella se remisit, et crura extendit et se gessit quasi domi esset.

² English misspelling and grammatical errors are used by Hardy to provide a rustic nature to the inscription. (TJS).

“Ut dixi,” ait, “Casterpontem eo, et Casterpontem mihi eundum est. Ibi iam pervenissem nisi pluvia me in domum tuam pulsisset. Sed mihi non piget.”

“Nonne Casterponte habitas?” rogavit pastor.

“Nondum. Sed ibi habiturus sum.”

“Forsitan mercaturam facturus es?”

“Non, non,” dixit uxor pastoris. “Virum esse divitem et eum laborem non cupere facile est videre.”

Post moram, ignotus respondit, “Non sum vere dives, Domina. Laboro, et me laborare necesse est. Etiamsi Casterpontem non perveniam ante medium noctem, hora secunda cras opus meum efficiendum erit.”

“O miser, quamquam fortunatus esse visus es, vere vitam graviorem habes quam nos,” respondit uxor pastoris.

“Propter negotium meum neque paupertatem, hoc facio. Sed vere mihi eundum est aut hospitium in oppido reperire non potero.” Atqui non movit, et mox dixit, “Satis temporis permanet ad alium poculum amicitiae bibendum—si poculus siccus non esset.”

“Tibi poculum mulsi inferioris dabo,” dixit Fennel Domina. “Id inferius vocitamus etiamsi paene est par.”

“Nullo modo,” fastidiose dixit ignotus. “Primum mulsum erat ita bonum ut id non vitiem.”

“Minime,” interruptit Fennel. “Haud cotidie in domicilio infans nascitur. Alium poculum complebo.” Igitur ad locum obscurum qui sub gradus erat ubi mulsum conservabatur. Uxor eum secuta est.

“Cur id facis?” rogavit quando soli erant. “Semel poculum exhausit, quamquam poculum mulsi satis decem hominibus tenuit. Nunc nihil est satis nisi mulsum optimum ei datur. Mihi mores eius minime grati sunt.”

“Sed in domicilio nostro est, Cara, et nox est umida, et baptisma fit. Quid refert? Alio anno erit satis mulsi boni.”

“Quicquid vis,” respondit. “Sed quid est negotium eius? Et unde venit hic vir sui generis ut se nobiscum iungat?”

“Nescio. Iterum rogabo.”

Occasionem ad poculum magnum exhauiendum ab ignoto Fennel Domina vitavit. Aliiquid mulsi in poculum parvum fudit, et hoc ei dedit. Hoc exhausto, pastor eum de negotio rogavit.

Haud statim respondit; et vir qui in angulo foci sedebat dixit, “Quemvis negotium meum scire licet—sum faber rotarum.”

“Negotium bonum in hoc regione,” dixit pastor.

“Et quemvis negotium meum scire licet—si est satis scitus ad aenigma dissolvendum,” dixit vir in vestibus cineraceis indutus.

“Plerumque manibus eius negotium hominis cognoscere potes,” ait faber lignarius, manus scabras suas ostendens.

Manus viri in angulo sedentis ad tenebras moverunt et vir ipse in ignem oculis defixis spectavit. Alter ignotus respondit, "Vere. Sed negotium meum in clientibus haud in me notam facit."

Cum nemo aliquid diceret, uxor pastoris cantum alium suggestit sed nemo studium habere visus est. Ignotus secundus autem nunc festivissimus se ipsum cantaturum esse dixit. Unam manum in aere movens incepit:

*"Negotium meum est rarissimum,
Vos simplices pastores omnes.
Negotium meum est spectaculum,
Nam clientes omnes alligo, et eos alte tollo,
Et ad terram distantem eos mitto."*

Atrium silens factum est postquam cantum finivit, viro qui in angulo foci sedebat excepto. Cantor dixit, "Omnes cantate!" et ignotus alter voce gravi cecinit:

Et ad terram distantem eos mitto.

Post cantum multi ex hospitibus solliciti esse visi sunt quasi dubitabant quid de viro cantus significavit. Sed vir in angulo foci sedens sine cura dixit, "Plus!" Ergo cantor, labia lambens, cantavit:

*Instrumenta mea sunt ordinaria,
Vos simplices pastores omnes--
Instrumenta mea non sunt egregia;
Paulum funis et pila una ad eum suspendendum
Sunt omnia necessaria.*

Pastor Fennel circumspexit. Hospites omnes formidare visi sunt. Una femina paene collapsa est, sed modo assidere decrevit quando nemo prope stabat ad eam suscipiendam.

“O, hic est carnifex!” murmuraverunt quidam. “Ad virum suspendendum venit. In carcere Casterpontis cras mane fiet. Reus est vir qui ovem intercepit—faber horologiorum qui Shottsford habitavit et laborem invenire non potuit—Timotheus Aestates, cuius familia esuriebat, et ovem intercepit—in luce clara, agricola et uxore et filio videntibus. Igitur hic vir (ignotum secundum spectaverunt) ex oppido vicino venit ad hoc opus efficiendum propter mortem carnificis nostri. Et nunc ibi habitaturus est.”

Ignotus in veste cineracea indutus his verbis operam non dedit. Cum alter ignotus solus qui oblectaretur esse visus sit, ad eum poculum sustulit. Duo viri pocula tetigerunt et ignotus secundus os aperuit ad iterum cantandum. Sed simul alia pulsatio, hoc tempore mollis haesitabundaque, audita est.

Hospites metuere visi sunt. Pastor ipse paulum vexatus erat, et uxor territa est. Sed pastor tertium dixit, “Intra.”

Ostium leniter apertum est et aliis ignotus ibi stabat. Erat parvus et candidus. In eleganti vestimento indutus est.

“Potesne mihi dicere viam ad...” incepit. Tum atrium circumspiciens, ignotum in veste cineracea indutum vidit. Hic, interpellationi operam non dans, iterum canere incipiebat:

*Cras est dies meus ad laborandum,
Vos simplices pastores omnes.
Cras mihi est dies ad laborandum,
Nam ovis agricolae imperfecta est,
Et homo qui eam interfecit captus est,
Et animae huius Deus miseritus sit.*

Ignotus prope focum sedens tanto studio poculum suum sustulit ut aliquid mulsi foco aspersum sit, et voce gravi, ut prius, cecinit:

Et animae huius Deus miseritus sit.

Interea ignotus tertius in ostio stabat. Propterea quod neque intravit neque plus diceret, hospites eum oculis defixis spectaverunt. Mirati sunt cur territus esse videretur. Genua manusque tremebant, os hiavit, oculi ab cantore festivo numquam moverunt. Mox se vertit, forem aperuit, fugit.

“Qualis vir hic?” dixit pastor.

Ceteri, formidine attoniti propter repertum recens et gestum ignoti tertii, nihil dixerunt, sed ab viro qui in medio atrio staret gradatim recesserunt. Eum Principem Tenebrarum habere visi sunt. Circulum distantem fecerunt, spatio inter se et eum vacuo. Erat quasi

“... circulus, cuius centrum diabolus.”³

Atrium erat tam silens (quamquam aderant xx homines aut plus) ut nihil audiri posset, pluvia excepta. Sed silentium repente ruptum est. Procul sonus sclopeti audiri potuit—scilicet ex opido pagi.

“Hei mihi,” exclamavit ignotus qui cantum finierat, se celeriter tollens.

“Quid significat hic sonus?” singuli rogaverunt.

“Reus ex carcere effugit—illud est quid significat,” respondit carnifex.

³ This phrase was quoted by Hardy in Latin. (TJS).

Omnis auscultaverunt. Sonus iterum auditus est. Nemo locutus est, ignoto primo excepto. Tranquille dixit, "Mihi saepe dictum est hoc signum in hoc loco fieri quandocumque reus effugeret, sed antea id numquam audiveram."

"Miror an sit reus meus," murmuravit vir in veste cineracea indutus."

"Certe est," ultiro dixit pastor. "Et certe eum vidimus. Erat ille vir parvus qui ad ostium venit et qui tremuit quasi folium quando te vidit et cantum tuum audivit."

Quid animadvertisserint nonnulli narraverunt. Postremo vir prope focum sedens dixit, "Veritatem omnes dicitis--terreri visus est."

"Non animadverte," dixit carnifex.

Signum saepius datum est. Postremo erat nulla dubitatio; reus effugerat. Ergo vir in veste cineracea indutus rogavit, "Estne in hoc atrio decurio? Si unus hic est, proveniat."

Vir I annos natus tremens provenit.

"Esne iure decurio?"

"Sum."

"Ergo reum statim persequere. Duc alios ad te iuvandum, et reum reduc, nam procul esse non potest."

"Persequar, Domine, simul atque scipionem meum petivero. Eius petendi causa domum ibo. Deinde omnes ire poterimus."

"Scipio! Is est nulli momenti. Reus effugiet."

"Sed sine scipione nihil efficere possum. Nonne veritatem dico--Villiam, Iohannes, Carole? Nullo modo! Corona regis in eo picta est, et leo, et monoceros. Ergo quandocumque ad reum feriendum eum tollo, actio mea est legitima. Capere hominem sine scipione non conabor. Nullo modo! Nisi legem habeam quae mihi animos det, me capiat neque eum capiam."

"Ipse sum magistras regis et tibi auctoritatem do," dixit vir in veste cineracea indutus. "Venite omnes. Habetisne lucernas?"

"Scilicet—habetisne lucernas? Eas postulo!" dixit decurio.

"Ceteri vestrum fortium. . ."

"Fortium—scilicet—ceteri vestrum!" clamavit decurio. "Habetisne dolii laminas furcasque?"

"Laminas furcasque—in nomine legis. Manibus eas tollite et scrutari incipite. Atque facite quicquid nos qui in auctoritate simus iubeamus."

Viri se paraverunt ad reum persequendum propterea quod clarum visum est ignotum tertium esse reum. Atque nondum potuit procul isse in terra tam aspera.

Infans quae erat in camena superiore lacrimare incepit. Feminae singulae ad infantem solandam gradus ascenderunt. Discedere ex atrio laetae visae sunt. Itaque momentis temporis duobus aut tribus atrium erat vacuum.

Sed haud diu. Sonus pedum vix desivit quando circum angulum casae vir redivit. Per ostium aspiciens et neminem

videns, intravit. Erat ignotus qui in angulo foci sederat. Cum alii exierat. Sed nunc segmentum placentae sustulit. Etiam aliquid mulsi in poculum fudit. Edebat bibebatque quando aliis vir pervenit—amicus eius in veste cineracea indutus.

“O—tu hic?” dixit secundus vir subridens. “Putavi te isse ad ceteros iuvandos.” Circumspexit, paulum mulsi antiqui invenire sperans.

“Et te ipsum isse putavi,” dixit alter, etiam edens.

“Satis virorum sine me adesse putavi. Et qualis nox est! Praeterea custodire reos est labor rei publicae neque meus.”

“Vere. Etiam ceu tu ego sensi sine me esse satis virorum.”

“In cumulis lacunisque huius regionis ferae frangere crura mea nolo.”

“Inter nos assentio.”

“Hi pastores huic terrae adsuefacti sunt. Simplices sunt, facile excitati. Ante das mane mihi eum capient, sine labore meo.”

“Vere, vere.”

“Em, Casterpontem iter meum est, et huic itineri omnes vires meae erunt necessariae. Isne eodem itinere?”

“Non, me piget. Opus est me domum ire hac via,” (dextra ambigue indicavit) “et ceu tu, sentio hoc iter esse satis cruribus meis.”

Prope ostium inter se dextras iunxerunt. Deinde discesserunt.

Interea viri reum sequentes erant sine ordine et sine duce. Dorsa saxosa offenderunt et quidam ceciderunt. Denique pastor dux factus est propterea quod regionem novit. Postremo virum quem peterent viderunt, immotum iuxta ornum magnam. Sine sonitu ad eum venerunt et coram eo steterunt.

“Pecuniam aut vitam tuam!” aspere dixit decurio.

“Non,” murmuravit Iohannes Urna. “Illud est dictum fugitorum. Nos autem sumus viri legis.”

“Ohe,” respondit decurio iracundus, “nonne aliquid dicere opus erat? Si tu gravitatem huius operis in manu haberet, forsitan aliquid ineptum dices. Captive, se nobis trade, in nomine Patris—’regis’ dicturus eram.”

Vir qui sub arbore stabat nunc eos animadvertis. Nullam occasionem ad virtutem ostendendam eis dedit. Ad eos lente ambulavit. Vere erat vir parvus, hic ignotus tertius; sed trepidatio eius evanuerat.

“Salvete, viatores,” dixit. “Audivine vos me alloquentes?”

“Audivisti. Opus est te statim venire et captivum nostrum fieri,” dixit decurio. “Te capimus propterea quod in carcere Casterpontis ad pendendum cras mane non manebas, ut debuisti.”

Crimine audito, vir laxatus esse visus est. Sine verbo se dedit viris qui eum circumstabant, dolii laminas portantes. Ergo ad casam pastoris eum reduxerunt.

Circiter media nocte erat quando pervenerunt. In atrio domus erant duo custodes carceris Casterponte et magistras notus qui in oppido pagi vicinio habitavit.

“Viri boni,” dixit decurio, “reum vestrum reduxi—haud sine periculo! Sed omnes officium facere opus est. Circumcluditur ab his viris qui mihi magno auxilio erant si de inscientia negotii rei publicae eorum cogitas. Viri, reum proferte!” Et ignotus tertius in lucem ductus est.

“Quis est?” rogavit unus ex custodibus.

“Reus vester,” dixit decurio.

“Nullo modo,” dixit secundus custos, et primus eum verum dicere confirmavit.

“Ergo cur erat tam territus quando praefectum legis vidit et cantum eius audivit?” Gestum ignoti tertii postquam in medio cantu in casam intraverat narravit.

“Nescio quamobrem,” sine cura dixit custos, “sed scio hunc non esse reum. Is est dissimillimus—procerus, fuscus, speciosus; et vocem canoram et gravem habet, vocem unicam.”

“Heia—est vir qui in angulo foci sedebat!”

“Quid?” dixit magistras, proveniens postquam cum pastore collocutus erat. “Negavistine vos virum habere?”

“Hem,” dixit decurio, “virum quem sequebamur habemus atqui non est vir quem quaerebamus propterea quod vir quem quaerebamus non erat vir quem sequebamur, si dictum meum comprehendis. Nam reus erat vir qui in angulo foci sedebat.”

“Miserum impedimentum!” dixit magistras. “Necesse est vos statim persequi alium virum.”

Captivus nunc locutus est. “Domine,” dixit, ad magistratem procedens. “Credo mihi ad loquendum hoc esse tempus. Nihil feci. Crimen meum est quod reus est frater meus. Ex oppido in quo habito ad carcarem Casterponte ambulabam ut fratri ‘Vale’ dicerem. Sed nox incubabat et hic veni ut requiescerem et de via rogarem. Sed ostio aperto fratrem meum vidi, in angulo sedentem. Carnifex reum non novit. De victima cantabat—qui erat proximus. Oculis orantibus frater meus me spectavit. Ita territus sum ut me vertens fugerem.”

Narratio viri vera visa est. Ei omnes crediderunt.

“Scisne ubi frater nunc sit?” rogavit magistras.

“Nescio. Eum non vidi postquam hanc forem operui.”

“Ubi ire potest? Quid est negotium eius?”

“Est faber horologiorum, Domine.”

“Dixit se fabrum rotarum esse—ille scelestus!” respondit magistras.

“Sine dubitatione rotas horologii significavit. Putavi manus eius esse albiores ad laborandum,” addidit Fennel Pastor.

“Certe,” dixit magistras, “causam ad hunc virum tenendum nullam video. Sine dubio alter est quem quaerimus.”


Itaque vir parvus solitus est. Sed de fratre erat etiam sollicitus. Cum hora esset sera, quaestio ad diem proximum

intermissa est. Praeterea, poena erat tam gravis et crimen tam parvum visum est ut multi incolae huius regionis fugitivum reperire nollent. Concordiam eius autem cum carnifice per convivium pastoris admirati sunt. Ergo est dubium si cum cura quaesiverunt etiamsi in hoc opere versati sunt. Igitur post multos dies nihil novi de reo auditum est.

Breviter, vir qui in angulo foci sederat et qui vocem gravem habuit numquam captus est; et vir qui in veste cineracea induitus est neque negotium suum Casterponte effecit neque postea umquam vidit comitem festivum quocum in casa parva horam remissionis consumpserat.

Diu herbae sunt virides super tumulos Fennel pastoris uxorisque. Plurimi ex hospitibus etiam mortui sunt. Infans quae erat causa huius festivitatis nunc est anus. Sed adventus trium ignororum ad casam pastoris illa nocte et res gestae quae secutae sunt etiamnunc sunt fabula in hac regione nota.

FINIS



MONILE

a Guy de Maupassant



Guy de Maupassant
1850-1893

MONILE

a Guy de Maupassant

Erat una ex illis puellis pulchris venustisque quae interdum, quasi fata errent, in casa pauperi nascantur. Dotem nullam, spes nullas habuit. Numquam vir dives clarusque eam visam adamans, in matrimonium eam ducturus erat. Itaque passa est se in matrimonium duci ab homine vulgari qui in tabulario educationis publicae incepta momenti nullius insecurus est.

Vestitum simplicem gessit propterea quod pecuniam unde se exornare posset non habuit. Atqui erat misera quasi de loco proprio cecidisset. Inter feminas neque ordo neque dignitas est. Pulchritudo et venustas et elegantia graviores sunt quam gens et genus nobile. Urbanitas ingenua, appetitus rerum elegantium, celeritas animi—haec discrimena sola sunt, et feminam plebis parem patriciae faciunt.

Cotidie dolebat propterea quod delicias et lautitiam omnem sibi deberi credidit. Propter domum sordidam et parietes foedas et sellas tritas et vela turpia dolorem patiebatur. Omnia quae plurimis feminis plebeis nulli momenti erant eam cruciabant et animum eius irritabant. Conclavia lauta, tapeta Orientis, candelabra alta et aerata, duos ministros in sellis magnis ad focum dormientes—de his semper somniabat, et cupiditate ardebat.

Mensa eius manteli obsoleto operata est. Utcumque ad edendum adversus maritum assedit, patinam is detexit et laetus declaravit, “Ah, quam exquisitae sunt carnes cum condimentis elixae. Nihil conditius quam hunc cibum scio.” Atqui cenas mundas et in mensa argentum et cennationem cuius parietes tapetis rebusque miris ornatae sunt voluit. Etiam de susurris blandis

cogitabat quos per ambages subridens ceu Sphinx carnem tructae
roseam aut alas coturnicis gustans audias.

Vestitus nullos, gemmas nullas, nihil habuit. Omnia tamen,
his exceptis, despexit. His se natam esse sensit. Lepida optan-
daque esse maxime voluit.

Amicam, condiscipulam priorem, habuit quae erat dives
et quam fugiebat propterea quod se eae videndae paenitet.

Vespere quodam autem maritus eius laetissimus domum
festinavit. In manu involucrum magnum tenuit.

“Ecce,” dixit, “tibi aliquid habeo.”

Involucrum celeriter aperuit, et chartam typis exscriptam
extraxit. Haec verba tulit:

*Magister educationis publicae et Rappaneau Domina
ad regiam magistratus
Magistrum et Loisel Dominam
invocant
die lunae
a.d. xv Kal. Feb.¹
ad vesperum*

Pro gaudio, quod maritus speraverat, uxor contemptionem
ostendit. Chartam ad mensam iecit.

¹a. d. XV Kal. Feb. = January 18. (BLF).

“Quid de ista faciam vis?” mussavit.

“Sed, cara, te laetam futuram esse credidi. Raro ex domo discedis, et haec est occasio maxima. Magna cum difficultate hanc chartam adeptus sum. Omnes ire volunt. Cum cura convivae selecti sunt, et perpauci ex ordine meo invocati sunt. Optimi civitatis omnes aderunt.”

Eum spectans, irata exclamavit, “Et qualem vestem geram vis?”

Hoc non speravit. Dubitanter dixit, “Mihi vestis in qua te induis cum ad theatrum eas bellissima videtur.”

Turbatus destitit, uxore lacrimante. Duae lacrimae magnae ex oculis sensim decurrerunt.

“Quid rei est? Quid rei est?” maritus sollicite rogavit.

Dolorem vix represserat et, dum genas siccatur, leni voce respondit, “Nihil est. Sed vestimentum decorum non habeo. Itaque ad hanc saltationem ire non potero. Alicui cuius uxor habet plus quam ego chartam da.”

Vehementer turbatus dixit, “Age, Mathilde. Quanta pecunia necessaria est ad vestimentum emendum—aliquid quod est non solum decorum sed etiam simplex et aliis occasionibus aptum?”

²It is very difficult to determine monetary values in different languages and time periods. 400 francs at the end of the 19th century is equal in purchasing power to about \$1000.00 in 1986. (TJS).

Tempus breve cogitavit, aestimans quantum pecuniae sine recusatione praesenti rogare auderet. Denique tremens respondit, "Recte nescio. Sed cd ex nummis gallicis satis esse computo."²

Maritus palluit propterea quod hanc summam conservaverat ad sclopetum emendum ut cum quibusdam amicis alaudas venaretur. Sed dixit, "Ergo cd ex nummis gallicis tibi dabo, atque vestimentum bellissimum emere poteris."

Dies saltationis paene aderat. Quamquam vestimentum paratum est, animus Loisel Dominae inquietus visus est. Uno vespere maritus ei dixit, "Quid est? Tres dies modis miris te geris."

Respondit, "Graviter fero quod nullam gemmam, ne unam quidem, habeo. Incomptam me ostendam. Ad saltationem ire paene nolo."

Maritus dixit, "Floribus recentibus uti poteris. Hac tempestate flores elegantes sunt. x ex nummis gallicis duas aut tres rosas splendidas emere poteris."³

Ei autem non persuasit.

"Minime. Est nihil turpius quam paupera videri inter feminas divites."

Sed maritus exclamavit, "Quam stulta es! Ab amica Forestier Domina pete ut tibi gemmas commonet. Ad hoc facendum estis satis amicae."

²The equivalent of about \$25.00 in 1986. See. note 1. (TJS).

Uxor laeta clamavit, “Est verum. Hoc numquam cogitavi.”

Proximo die ad amicam iit et quid vellet explicavit. Forestier Domina ad armarium ambulavit. Ex eo capsam magnam extrahens, eam ad Loisel Dominam portavit. Capsa aperta, Forestier Domina dixit, “Quidvis cape.”

Armillas, monilia ex margaritis facta, crucem Veneticam, aurum, gemmas opere praeclaro spectavit. Ante speculum stans, has sibi circumdedit. Quid vellet decernere non potuit. Rogabat, “Nonne plura habes?”

“Certe. Ecce. Quid tibi gratum sit nescio.”

Repente in capsula nigra monile adamantineum invenit. Erat magnificentum! Cupidine immodica cor impletum est. Cum id tangeret, manus tremesceret. Circum collum suum id aptavit et gaudio devicta in speculo se spectavit. Denique dubitanter timideque rogavit, “Commodabisne mihi hoc—hoc solum?”

“Certe.”

Amicam cum caritate amplexa est et cum thesauro suo domum cucurrit.

Postremo dies saltationis aderat. Loisel Domina erat felicissima. Erat pulchrior quam omnes—elegans et lepida et hilaris et laetissima. Viri omnes eam spectabant, nomen ei quaerebant, introduci petebant. Quisque optimus cum ea saltare voluit. Oculos magistri ipsius ad se convertit. Omnibus praeter felicitatem amissis, gaudio ebria saltabat. Haec veneratio, haec admiratio, haec Victoria plena, quae cordi feminae est ita dulcis—haec

omnia ei nebulam laetitiae circumdederunt.

Aurora paene aderat cum excederet. Media nocte maritus somno se dederat in cubiculo parvo in quo tres viri alii manebant dum in saltando uxores delectantur.

Super umeros paenulam quam maritus portaverat iecit. Haec paenula, trita et vulgaris, erat dissimillima vestimento eius eleganti. Fugere voluit ne videretur ab feminis quae in pallis ex pelle factis induerent. Atqui Loisel dixit, “Mane. Foris perfrigesces. Vehiculum inveniam.”

Non auscultavit. Ex aedibus quam celerrime excessit. Vehiculo non invento, ambulare coeperunt. Frigore horrebant. Postremo vehiculum obsoletum nacti sunt quod eos domum vexit. Tristes introierunt. Uxori omnia finita erant; marito tempus negotii paene aderat.

Ut in munditia sua se ultimum spectaret, ante speculum uxor paenulam removit. Subito exclamavit—monile aberat!

Maritus seminudus rogavit, “Quid fit?”

Pavida ad eum se vertit.

“Monile...monile Forestier Dominae amisi!”

Maritus attonitus se sustulit. “Quid dicis? Quomodo? Fieri non potest.”

Sinus vestimenti paenulaeque rimati sunt; omnia scrutati sunt. Id non invenerunt.

Maritus rogavit, “Esne certa te id habuisse cum ex saltatione excederes?”

“Certa sum. In vestibulo aedium id tetigi.”

“Si in via id amisisses, lapsum eius audivissemus. Itaque in vehiculo certe cecidit.”

“Probabiliter. Notavistine numerum eius?”

“Eum non notavi. Nonne eum vidisti?”

“Minime.”

Obstupefacti inter se spectaverunt. Postremo Loisel sibi vestem induit.

“Pedes viam totam qua venimus repetam ut videam si monile reperire possim.”

Postquam excessit, vestimentum saltationis iam gerens, in sella Loisel Domina sedit. Ei vires sic defecerunt ut cubitum ire non posset. Itaque sine igne et sine cogitatione sedebat.

Serius maritus revenit. Nihil reppererat. Ad stationem vigilum, ad tabularia diurnorum ierat ut pretium offerret. Stationes vehiculorum petiverat—ubique spes minima eum duxit. Cum Loisel ad tabularium ivisset, uxor metu aegra diem totam exspectavit. Vespere, negotio acto, Loisel pallidus domum revenit. Etiamnunc nihil reppererat.

“Amicae tuae epistula scribenda est. Ei dic fibulam fractam reficiendam esse. Illo modo aliquid morae habebimus.”

Quod is dictavit, id ea scripsit.

Post vii dies spes omnis perdata est. Loisel, qui v annis

senuerat, praedicavit, “Quomodo aliud decus substituere possumus nobis cogitandum est.”

Proximo die capsulam quae monile tenuerat ad gemmarium cuius nomen in ea inscriptum sit portaverunt. Commentaria sua scrutatus est.

“Domina, hoc monile non vendidi. Capsula sola est mea.”

Postea monile simile invenire conantes, ad multos gemmarios ierunt. Postremo monile detexerunt quod in singulis rebus idem visum est. Pretium erat xxxvi milia nummorum gallicorum sed gemmarius dixit se duo milia hoc deminuturum esse.⁴

Ab eo petiverunt ut tres dies monile servaret. Etiam dixit se id recepturum esse si mense uno alterum invenirent.

Loisel xviii milia nummorum gallicorum hereditate possedit.⁵ Pecuniam reliquam mutuari decrevit. Hinc pauca numma, illinc paulo plura conduxit. Instrumenta signavit et faeneratoribus tocullionibusque omnem vitam futuram obligavit. Quamquam inopia praesenti et futura perterritus est, tamen ad gemmarium pretium constitutum portavit.

Quando Loisel Domina monile reddidit, Forestier Domina indignans dixit, “Prius id tibi reddendum erat. Quid si eo uti voluissem?”

Capsulam non aperuit, ut Loisel Domina metuerat. Si id non esse idem vidisset, quid dixisset et egisset? Nonne Loisel

⁴The necklace would cost about \$90,000.00 in 1986. See note 1. (TJS).

⁵About \$45,000.00 in 1986. See note 1. (TJS).

Dominam furtum fecisse putavisset?

Tandem Loisel Domina duritiam paupertatis verae cognovit. Magnis cum animis autem malum tulit. Illud debitum ei solvendum erat et id solutura erat. Nunc ancillam nullam habuerunt. Domum vendiderunt et sub tegulis alterius habitaverunt. Onus laboris domestici et culinarii ei notum est. Patinas tergebat. Unguis suis roseis ollas sordidas purgabat. Vestes turpes, tunicas, pannos lavabat. Cotidie quisquillias portans ad angiporum descendebat, et aquam portans scalas ascendebat. Ad se reficiendam tabulato omni stetit. Etiam vestem plebeiam gerens et sportulam portans, ad venditores fructuum, holerum, carnium iit. Pacta et cavillata est. Assem omnem conservare conata est.

Mense omni aliae obligationes tollenda, aliae reficienda sunt ut plus temporis haberent. Vespere maritus rationes lucrumque cauponum computabat. Nocte codices exscribebat; pagina omnis v asses ei significavit. x annos haec vita permansit. Tum summa tota cum anatocismo soluta est.

Loisel Domina anus nunc esse visa est. Paupertate lacer-tosa et dura et cruda facta erat. Crines ei erant passi et manus rubrae factae sunt. Magna cum voce loquebatur dum sola strenue terget. Atqui nonnumquam, priusquam maritus domum venit, iuxta fenestram sedebat et illum vesperem festum recordabatur quo iamdudum fructa erat et saltationem ubi ante omnes pulcherrima fuerat.

In animo volutabat quid vita sua futura esset si illud monile non amisisset. Quis scit? Quam mutabilis vita est. Quam parva res ad res adversas aut secundas nos vertit.

Uno Die Solis in Champs Elysees ambulabat. Subito feminam puerum ducentem vidit. Erat Forestier Domina quae

adhuc erat florida, pulchra, bella. Loisel Domina excitata est. Ausa est eam alloqui? Certe. Debito nunc soluto, fabulam totam narratura erat. Cur non?

Ad eam accessit. "Salve, Jeanne."

Altera, quae eam non recognovit, ab hac anu appellari mirata est. Dixit, "Domina, te non cognosco. Erras."

"Minime. Sum Loisel Domina."

Forestier Domina clamavit, "Oh, Mathilde mea, quanto-pere mutata es!"

"Vita mea durissima est ex quo tempore te vidi — vita misera, et propter te hoc factum est."

"Propter me? Quemadmodum?"


"Recordarisne monile quod mihi commodavisti ut ad saltationem id gererem?"

"Recordor. Sed non comprehendo."

"Id amisi."

"Quid dicis? Id reddidisti."

"Aliud par reddidi. x annos ad hoc emendum pecuniam impendimus. Comprehendere potes quam difficile hoc opus fuerit cum nihil haberemus. Postremo summa tota soluta est, et gaudeo."



Forestier Domina quasi attonita stetit.

"Dicisne te pro monili meo aliud adamantium redidisse?"

"Ita. Num discrimin vidisti? Erant simillima." Loisel Domina grata subrisit.

Forestier Domina permota duas manus amicae cepit. "Oh, Mathilde misella! Monile meum haud sincerum; vile erat. Ad id emendum non plus quam d ex nummis gallicis impendi."⁶

FINIS

⁶About \$1250.00 in 1986 dollars. See note 1. (TJS).

DONUM MAGORUM

ab O. Henry



O. Henry
1862-1910

DONUM MAGORUM

ab O. Henry

Unus thalerus atque lxxxvii centesimae—erat summa tota. Etiam lx centesimae huius pecuniae erant asses.¹ Singulae hic atque illic ereptae erant paciscendo cum lanio et venditore holerum quoad genae erubescabant propterea quod res eiusmodi sordidae visae sunt. Ter Della pecuniam computavit. Erat unus thalerus atque lxxxvii centesimae. Et cras futurum erat festum nativitatis Christi.

Vere, ploratu excepto, nihil fieri potuit. Itaque Della in sella pannosa assedit et ploravit. Hoc nobis indicat vitam ex singultu et risu et vagitu—vagitu plurimo--constare.

Dum Della se gradatim recipit, diaetam spectemus. Erat diaeta instructa, quae domicilium mendici squalidum non vere sed paene attigit. In introitu aedium erat capsula epistulis in quam epistula nulla ire poterat. Sub ea erat orbiculus electricus quem nulla manus humana movere poterat. Hic etiam erat charta parva in qua nomen IACOBUS DILLINGHAM IUVENIS scriptum erat.

Nomine “Dillingham” vir uxorque constanter usi erant cum Iuvenis Dominus rebus secundis olim fructus erat. Nunc autem vectigal eius erat minimum, et litterae nominis medii in charta obscurae factae erant quasi in modestam litteram “D” se contracturae essent. Sed utcumque Iacobus Dillingham Iuvenis domum venit, “Iacus” vocabatur ab uxore quae eum cum amore complectebatur, uxor quae Della vobis iam introducta est. Bene.

¹Dr. Andrew Adams notes that such a combination of coins is possible with the use of two-cent pieces (TJS).

Ploratu finito, Della genas suas lavavit. Prope fenestram tristis stetit et spectavit felem cinereum ambulantem in saeptis cinereis quae aream cinereum circumcluserunt. Cras futurum erat festum nativitatis Christi et Della nihil habuit nisi unum thalerum atque lxxxvii centesimas. Quale donum hac pecunia Iaco suo emere potuit? Multos menses asses quam plurimos servaverat, sed impensae maiores fuerant quam exspectaverat. Sic semper sunt! Itaque ad donum emendum modo unum thalerum atque lxxxvii centesimas conservaverat.



Multas horas iucundas in cogitando de dono grato cumpserat. Futurum erat aliquid grande et rarum et sincerum, aliquid ab Iaco teneri dignum.

In conclavi erat speculum parvissimum. Della ab fenestra aversa in hoc speculo se vidit. Oculi eius fulgebant sed facies colorem statim amisit. Comas celeriter demisit et eas planissime cadere passa est.

Erant duae res quibus Iuvenes superbiebant. Altera erat horologium Iaci aureum quod patri et avo proprium fuisset; altera erat comae Dellae. Si regina Shebae in diaeta quae erat trans angiportum habitavis-

set, Della per fenestram ad siccandum comas pendere passa esset ut de gemmis reginae splendorem imminuerent. Si Solomon Rex curator aedium fuisset, thesauris suis in tabulato imo congestis, Iacus horologium spectavisset utcumque praeteriret ut invidiae causa rex barbam velleret.

Et nunc comae Dellae ceu deiectus aquae spadicis dependebant. Genuum tenus se extenderunt et tunicam paene factae sunt.

Denique fibulis eas iterum fixit—trepide celeriterque. Semel unum momentum temporis dubitavit et substitit dum una aut duae lacrimae ad stragulum tritum quod in solo iacebat ceciderunt. Sed mox pallam et pileum sibi induit. Ambae res erant vetustae et fulvae. Celeriter versa fulgentibus cum oculis ex diaeta et de scalis leviter iit.

Constitit ubi in insigni scriptum est: SOPHRONIA DOMINA—OMNIA DE COMIS. Della ad tabulatum secundum cucurrit. Tum tremens se refecit. Domina erat ingens, pallidior, tetrica.

“Emesne comas meas?” rogavit Della.

“Comas emo,” dixit domina. “Pileum remove et quales sint spectemus.” Defluxit deiectus spadix.

“xx thaleras,” dixit domina, manu perita comas pinguissimas tangens.

“Mihi eas celeriter da,” dixit Della.

Postea duae horae celerrime praeterierunt. Tabernas scrutabatur, donum marito suo quaerens. Postremo id invenit. Certe nemini nisi Iaco factum erat. Tabernae aliae nihil simile habuerunt,

et cum cura omnes scrutata erat. Erat horologio catella ex auro facta, simplex emendataque. Sine decore per se pretiosa erat, ut omnia bona esse debent. Horologio Iaci etiam digna erat. Simul atque eam vidit, eam Iaco dandam esse scivit. Similis ipsi erat: sine ostentatione atque cum dignitate ambo erant eminentes. xxi thaleris eam emit; et cum lxxxvii centesimis domum festinavit. Scivit quam laetus Iacus futurus esset in horologio spectando cum hanc catellam haberet. Adhuc id nonnumquam furtim spectabat etiamsi erat grande, propter lorum antiquum quo pro catella utebatur.

Cum Della domum advenisset, gaudium prudentiae rationique cessit. Calamistrum invenit et in extenuatione rapinae quam liberalitas amorque attulerant versata est. Hoc semper est negotium grave, negotium horrendum.

xl momentis temporis caput eius cincinnis minimis ita tectum est ut discipulus fugitus esse videretur. Imaginem suam in speculo spectavit — diu, diligenter, accurate.

“Si Iacus me non necaverit,” sibi dixit, “antequam bis spectabit, dicet me esse videri saltatricem ex Insula Conia. Sed quid agere poteram? Uno thalero atque lxxxvii centesimis, quid agere poteram?”

Hora cenae coffea Arabica confecta est et sartago erat in igne, calida et parata ad ofellas coquendas.

Iacus tardus numquam erat. Della itaque in manu catellam tenens in mensa assedit prope aditum per quem maritus semper veniebat. Procul gradum eius in scalis audivit et unum momentum temporis palluit. Vel de rebus quotidianis preces facere solebat, et nunc parva cum voce dixit, “O Deus, efficias ut Iacus me etiam pluchram habeat.”

Iacus introit et forem clausit. Macer et defatigatus visus est. Homo infelix modo xxii annos natus est, sed iam iam rebus domesticis oneratus est. Neque lacernam novam neque tegumenta manuum ulla habuit..

Adveniens in conclave Iacus sttit, tam immotus quam canis venaticus cum coturnices odoretur. Insolito cum vultu Dellam oculis fixis spectavit. Hoc eam perterrituit. Neque iratus neque obstupefactus neque aversus visus est. Erat nihil ex sensibus quibus uxor parata est. Affectus eius Della perspicere non potuit. Insolito cum vultu eam modo spectavit.

Della de mensa desiluit et ad eum cucurrit.

“Iace carissime,” exclamavit, “amabo, me isto vultu ne spectas. Comas meas praecisas vendidi propterea quod festo nativitatis Christi vivere non potero nisi tibi donum dedero. Comae recrescent. Num improbabis? Mihi faciendum erat. Comae meae celerrime crescunt. Feriae festivae, Iace! Laeti simus. Quam elegans, quam pulchrum donum tibi habeam nescis.”

“Praecidistine comas tuas?” rogavit Iacus incredulus, quasi hanc rem non comprehenderat etiamsi quam maxime contatus erat.

“Comas meas praecisas vendidi,” dixit Della. “Nonne me amas tantum quantum amabas? Nonne sum Della, etiam sine comis meis?”

Iacus conclave circumspexit.

“Dicisne comas tuas hic non esse?” inepte dixit.

“Frustria quaeris,” respondit Della. “Eas vendidi, ut dixi, et hic absunt. Pridie festum nativitatis Christi, care, mihi ignosce

propterea quod pro te eas vendidi. Forsitan pili capitis mei numerentur, sed nemo amorem tibi meum metiri potest. Ofellas coquere incipiam, Iace?”

Iacus ex perturbatione celeriter emersit. Dum Dellam suam complectitur, breve spatium aversi partem conclavis aliam spectemus. Vectigal octo aut mille thalerorum — quid differt? Neque mathematicus neque sapiens responsum scit. Magi dona pretiosa portaverunt atqui inter ea id non fuit. Hoc dictum obscurum mox clarum fiet.

Iacus sarcinulam ex sacculo in lacerna assuto extraxit et eam in mensam iecit.

“Ne erra, Della,” dixit. “Comibus praecisis aut rasis, nihil efficere potest ut puellam meam minus amem. Sed si involucrum illae sarcinulae solves, videbis cur primo consternatus sim.”

Digitis perniciibus resticulam et involucrem avulsit. Deinde erat exclamatio laeta quae in modo feminae ad ululatum celeriter mutavit. Protinus necesse erat maritum eam consolari, propterea quod in mensa iacebant illi pectines praeclari quos Della diutissime cupiverat utcumque in fenestra tabernae eos spectaverat. Erant pulcherrimi et testudinei et gemmati. Color eorum erat idoneus ad comas eius ornandas—comas pulchras quae evanuerant! Hi pectines, ut scivit, magni pretii erant, et animus eius cupiditate eorum arserat sine spe eorum adipiscendorum. Nunc eos proprios habuit, sed comae quas adornare debent aberant.

Atqui eos in sinu complexa est. Postremo oculos lacrimosos tollere potuit, et subridens dixit, “Comae meae celerrime crescunt, Iace.”

Denique Della resiliens exclamavit, “O!” propterea quod meminit Iacum donum suum pulcherrimum non vidisse. Manum

planam tenens, catellam porrexit. Aurum hebes ex animo Dellae
claro ardenteque ignem concipere visum est.

“Nonne est lauta, Iace? Ad eam inveniendam oppidum
totum scrutata sum. Posthac horologium saepissime spectare
cotidie voles. Id mihi da. Videre volo quam bella catella in
horologio sit.”

Iacus autem in sella assedit et digitis inter se post caput
iunctis subrisit.



JAS

“Della mea,” inquit, “dona nostra condita breve spatum custodiamus. Haec usui futuro sunt meliora. Horologium vendidi ut pectines emerem. Nunc quin ofellas coquis?”

Magi, ut scitis, erant sapientes—sapientissimi quidem—qui dona infanti in praesepi tulerunt. Initium donorum dandorum festo nativitatis Christi fecerunt. Eis sapientibus, dona horum sapientium nimirum apta erant. Nescio an remitti potuerint si duplicatio fuisse. Ego autem vobis narravi fabulam quotidianam duorum hominum imprudentium qui commodio alterius insipienter res maximi ab se aestimatas remiserunt. Etiam vobis dico hos duos fuisse sapientissimos ex hominibus quicumque dona alicubi ferrent. Ubique sapientissimi sunt. Hi sunt Magi.

FINIS

VITA VALTERI MITTI ARCANA

a James Thurber

VITA VALTERI MITTI ARCANA

a James Thurber

“Procedemus,” vox ducis erat similis tenui glaciei fractae. Omnem ornatum militarem gessit. Sub pilleo albo, quod in capite sine cura locatum est, unus oculus acer se ostendit. “Hoc negotium efficere non poterimus, dux. Procella mala mox veniet, si me rogas,” dixit Berg Legatus. “Te non rogo,” dixit dux. “Facite lumina clarius lucere; facite machinas celerius laborare. Pervolaturi sumus.” Sonitus machinarum crevit. Dux glaciem quae fenestram anticam tegere incipiebat oculis defixis spectavit. Ad tabulam ambulavit et quasdam pilas implicatas vertit. “Incohate machinam octavam,” clamavit. “Incohate machinam octavam,” Berg Legatus iteravit. “Omnem potentiam in turri tertia,” clamavit dux. “Omnem potentiam in turri tertia,” iterum vocavit legatus. Viri, in operibus variis laborantes, inter se spectaverunt et arriserunt. “Senex nos recte perducet,” dixerunt. “Senex Orcum ipsum non metuit.”

“Celeritatem minue. Vehiculum velocius agis,” dixit Mittia Domina. “Cur id ita velociter agis?”

“Quid?” dixit Valter Mittius. Stupefactus uxorem suam quae ei assidebat spectavit. Alienissima visa est quasi esset femina quae ex vulgo eum compellavisset. “Vehiculum celerius agebas. Me celeritatem odisse scis.” Ad Vaterburiam in silentio Valter Mittius vehiculum egit. Tremor vehiculi aerii per tempestatem pessimam xx annis moventis in imas animas eius gradatim evanuit. “Rursus in te ipsum recedis. Est unus ex istis diebus

malis. Te consulturum esse Renshavem Medicum vellem," dixit uxor.

Ante aedificium in quo comae uxoris lavari et comi solebant, Valter Mittius vehiculum stitit. "Memento emere supercalceos dum comae meae lavantur." "Supercalceis non egeo," dixit Mittius. Speculum in quo ea se spectaverat in marsupium reddidit. "Haec saepius percurrimus," dixit, ex vehiculo descendens. "Diu iuvenis non es." Machinam is celerrime egit. "Cur tegumenta manuum non geris? Amisistine ea?" Tegumenta ex sacculo in vestimento assuto Valter Mittius extraxit et manus eis induxit. Postquam ea in aedificium ierat, ad lumen rubrum vectus est ubi tegumenta removit. Cum lumen viride fieret, vigil indig-nans ut procederet clamavit. Raptim tegumentis manus iterum induxit et vehiculum subito motu propulit. Paulisper per vias temere vectus est. Postremo cum aream vehiculorum quaereret, valetudinarium praeteriit. . . .

"*Est argentarius praedives, Vellington McMillan,*" dixit puella pulchra quae assedit. "Ita?" dixit Valter Mittius, tegumenta manuum removens. "Quis est medicus eius?" "*Renshav Benbouque medici sunt, sed duo medici peritissimi etiam adsunt—Remington Medicus et Pritchard-Mitford Medicus qui Novo Eboraco et Londinio venerunt.*" Procul foris aperta est et Renshav Medicus pervio longo accessit. Turbidus pallidusque visus est. "Salve, Mitti," dixit. "Res sunt haud secundae de McMillane, argentario praedivi et Principi civitatis amicissimo. Est obstreosis aperturarum—in gradu tertio. Ut eum videoas velim!" "Certe," dixit Mittius. Ad conclave ierunt quo medici ad secandum utebantur. Introduc-tiones susurratae sunt. "*Librum tuum de streptothricosis legi,*" dixit Pritchard-Mitford. "Est opus excellens, vir bone." "Gratias ago," dixit Valter Mittius. "Te in patria

esse nescivi, Mitti. Me et Mitford secandi causa venire certe necesse non erat cum adesses.” Hoc momento temporis machina, ingens involutaque, sonare coepit. “Soporifera machina nova non est efficiens, et nemo in hac regione eam reficere scit.” “Tace,” dixit Mittius. Ad machinam in qua sonitus fiebat peior festinavit. Quasdam pilas vertere incepit. “Mihi calatum da,” vocavit. Aliquis ei calatum dedit. Ex machina partem mendosam extraxit et in loco calatum inseruit. “Ille x momenta temporis sufficiet. Celeriter laborate.” Una quae assedebat ad Renshavem Medicum veniens aliquid susurrabat. Mittius medicum pallescere vidit. “Coreopsis incepit,” trepide dixit Renshav. “Suscipiesne opus, Mitti?” Mittius eum et Benbovem Medicum (qui nonnumquam potabat) et duas facies medicorum peritissimorum turbatas spectavit. “Si vultis,” dixit. Sibi stolam albam induit et involucrum in facie aptavit. Illae quae assidebant ei instrumenta porrexerunt. . . .

“Vah, Stupide! Illud vehiculum magnum pro te cave.” Valter Mittius vehiculum suum statim stitit. “In itinere recto non is,” dixit curator areae vehicularum, oculis defixis eum spectans. “Edepol, verum est,” mussavit Mittius. Vehiculum suum retro movere incepit ex itinere signato: EXITUS SOLUS. “Sedeat,” dixit curator. “Id movebo.” Mittius ex vehiculo descendit. “Mihi clavem da.” “O,” dixit Mittius, ei clavem dans. Curator in vehiculum saluit et insolenti cum arte id retro movit et in loco recto posuit.

Hi curatores sunt ita gloriosi, Valter Mittius putabat, in Viam Principem ambulans. Se omnia scire putant. Olim vincula ab rotis vehiculi removere conatus erat et ita implicata facta erant ut opifici removenda essent. Hic iuvenis eum derisit. Postea Mittia Domina eum ire ad officinam ad vincula removenda

iusserat. "Priosquam iterum ad officinam ibo, bracchium dextrum in mitellam ponam. Sic me vincula removere non posse videbunt." In lutum quod in ambulatione erat gressus est. "Supercalcei," sibi dixit et tabernam sutrinam quaerere incepit.

Cum in viam iterum veniret, sub bracchio cistam portabat in qua supercalceos habuit. Aliud quod uxor eum adipisci voluit non recordatus est. Res multas in animo volvit — res quae ad culinam et baleum, ad medicinam et pigmenta pertinuerunt. Recordari non potuit, sed eam recordaturam esse scivit. "Ubi est quid-est?" rogatura erat. "Ne mihi dixeris te quid-est obliisci." Puer diurna vendens aliquid de iudicio Vaterburiae clamabat. . . .

"Fortasse hoc memoriam tuam meliorem faciet," accusator sclopetum grave porrexit ad virum quietum qui testimonium dicebat. "Hocne umquam vidisti?" "Illud est sclopetum meum," Mittius tranquillus dixit. Spectatores incitati sunt. Ut eos tranquillos faceret, iudex malleo mensam icit. "Nonne telis omnibus uti bene scis?" rogavit accusator. "Non licet!" clamavit consultus Mitti. "Eum sclopeto uti non potuisse demonstravimus propterea quod illo tempore totum bracchium dextrum deligatum esset." Valter Mittius manum sustulit et consulti rixati tacuerunt. "Genere sclopotorum omni uti possum," dixit; "et Gregorium Fitzhurstem interficere potuissem—scaevara." In conclavi clamor magnus ortus est. Femina vociferata est. Subito puella pulchra in brachia Mitti cucurrit. Accusator eam cum saevitia tutudit. Ex sella surgens, Mittius mentum eius ferit. "Tu es canis rabidus," dixit.

"Buccellata canina," clare dixit Valter Mittius. Gradum stitit et aedificia Vaterburiae ex basilica nebulosa emergentia eum circumstiterunt. Femina praeteriens risit. "Buccellata canina," comiti dixit. "Ille bucellata canina sibi dixit." Per vias Valter

Mittius ad tabernam parvam remotamque ambulavit. "Buccellata catellis idonea emere volo," venditori dixit. "Genus speciale?" Vir qui erat in mundo maximus cum in manu sclopetum teneret paulisper cogitavit. "In cista sunt verba: CATELLI UT EIS HAEC DENTUR LATRANT," dixit Valter Mittius.

Ad hospitium in vestibulo cuius uxorem exspectare solebat festinavit propterea quod eam cincinnatam mox venturam esse scivit. Eum quotienscumque tardum expectare non volebat. In sella magna assedit et supercalceos in solum iuxta se posuit. Exemplar Libertatis obsoletum sustulit et legere incepit: PROTESTNE GERMANIA ORBEM TERRARUM VINCERE VEHICULIS AERIIS? Valter Mittius picturas vehicularum aerorum et viarum deletarum spectavit. . . .

"Strepitus belli administrum tuum stravit," dixit praefectus. Mittius Ductor eum spectavit. "In lecto eum cum aliis pone," dixit lassus. "Solus volabo." "Sed non potes," dixit praefectus sollicitus. "Necesse est duos impellere illud vehiculum belli aerium et pyrobolis hostes aera implet." "Illud horreum apparatus bellici delendum est," dixit Mittius. "Iturus sum. Visne paulum aquae vitae?" Potiones sibi et praefecto fudit. Passim erat bellum. Erat sonitus ligni fissi et assulae per conclave volaverunt. "Illud erat proximum," sine cura Mittius dixit. "Sed solum semel vivimus, ut dicunt." Aliud poculum aquae vitae exhausit. "Aliquem qui tantum bibere sine ebrietate posset numquam vidi, si verbis meis ignoscas," dixit praefectus. Mittius Ductor se attollens sibi sclopetum magnum accinxi. "Sunt xx milia passuum per Orcum," dixit praefectus. "Quid differt?" respondit ductor. Genera tormentorum omnia audiri potuerunt. Valter Mittius, summissa voce carmen amatorium cantans, hilare dixit, "Vale."

Aliquid humerum tutudit. "Per hospitium totum te invenire conabar. Cur in hac sella antiqua te abdidisti?" "Res hominem circumfundunt," obscure dixit Valter Mittius. "Quid dicis?" Mittia Domina dixit. "Emistine buccellata canina? Quid est in illa cista?" "Supercalcei," dixit Mittius. "Cur in taberna eis te non induxisti?" "Alia cogitabam," dixit Valter Mittius. "Nonne sentis me nonnumquam cogitare?" Eum spectavit. "Calorem corporis tui mensura sum cum domum adveniemus," dixit.

Exeunt per fores se revolvendas quarum crepus eum ludificari visus est. Vehiculum duabus viis aberat. Primo angulo, uxor dixit, "Mane hic unum momentum temporis. Aliquid oblitum." Plus quam unum momentum aberat. *Valter Mittius cigarettam accedit. Pluvia cum grandinibus mixta cadere coepit. Mittius iuxta murum aedifici stetit. Capite superbe sublato, contemptim dixit, "Oculos meos obligari necesse non est." Cigarettam reiecit. Deinde subridens ad manipulum mortiferum se vertit. Rectus immotusque, impavidus superbusque, Valter Mittius imperturbatus et invictus ad extremum mansit.*

FINIS



TRES VIRI MUNDANI

a Paul Farrier




Paul Farrier
1894-1970

TRES VIRI MUNDANI

a Paul Farrier

Tres viri mundani in porticu hospitii sedebant. Inter se non loquebantur. Stellas quae in caelo luxerunt spectabant et feminam quam quisque amaret cogitabant. Postremo singuli ad cubicula ierunt.


Primus picturam feminae sustulit. Lutetiae eam cognoverat, sed nullius momenti erat locus propterea quod ubicumque peregrinata erat. In hac pictura ad natandum induita est. Forma eius erat pulcherrima. "Eam rogabo ut mihi nuptet," sibi dixit. Ea rogata, arridens dixit, "Tibi gratias ago. Hoc autem mihi cogitandum est."



Secundus picturam feminae sustulit. Romae eam cognoverat, sed nullius momenti erat locus propterea quod ubicumque peregrinata erat. In hac pictura ante Basilicam Petri Sancti stabat. Simillima Madonnæ erat. "Eam rogabo ut mihi nuptet," sibi dixit. Ea rogata, arridens dixit, "Tibi gratias ago. Hoc autem mihi cogitandum est."



Tertius picturam feminae sustulit. Londinio eam cognoverat, sed nullius momenti erat locus properea quod ubicumque peregrinata erat. In hac pictura prope Museum Britannicum stabat. Quam intelligens prudensque visa est. "Eam rogabo ut me nuptet," sibi dixit. Ea rogata, arridens dixit, "Tibi gratias ago. Hoc autem mihi cogitandum est."



Post vi menses duo viri mundani in porticu hospiti sedebant. Inter se non loquebantur. Cur eum qui abesset legisset mirabantur.

FINIS

APPENDIX

DUO CANTUS FESTI

Rudolphus, Reno Naso Rubro
a Johnny Marks

Rudolphus, reno naso rubro,
nasum nitidum habuit.
Si eum umquam videas,
Nasum ardentem putet.
Omnes renones alii
Eum ludificabant;
Numquam Rudolphus miser
Secum ludat sinebant...
Sed uno festo nebuloso
Santa veniens dixit,
“Rudolphe, naso nitido,
Ducesne traheam meam?”
Tum renones eum amant
Et cum gaudio clamant:
“Rudolphe, reno naso rubro,
Posthac clarus semper esto!”

Nox Proxima ante Festum Nativitatis Christi
a Clement C. Moore

Erat nox proxima ante festum nativitatis Christi,
Et per domum totam nemo movebat, ne mus quidem.
Cum cura tegimina cruris iuxta focum suspensa erant
Quod, ut spes erat, Nicolaus Sanctus mox venturus erat.
Liberi in lectis laeti iacebant
Dum somnia melimelorum in capite saltant.
Ego materque galeros cubiculares gerentes,
Iam insedimus ut noctem hiemis longam dormiremus,
Cum foris in prato tantus strepitus oriretur
Ut ad tumultum investigandum ex cubili salirem.



Ad fenestram festinavi et foriculas celeriter aperui.
Lux lunae ab nive recenti remissa
Rebus quae infra erant claritatem meridiei dedit.
Et aliquid mirabile ante oculos meos apparuit—
Trahea minuta et octo renones minimi;
Etiam erat auriga parvus et senex, ita vividus alacerque
Ut eum Nicolaum Sanctum esse statim noscerem.
Renones celeriores quam aquilae venerunt,
Et Nicolaus Sanctus sibilavit, clamavit, eos nominavit:
“Veni, Cursor! Veni, Sultator! Venite, Exsultor¹ Vulpesque!
Porro, Cometes! Porro, Cupido! Porro, Tonitus Fulmenque!
Ad vestibulum summum, ad murum summum ite!
Iam provolate, provolate, provolate omnes!”
Ceu folia sicca prae procella volant
Et, cum obices offendant, in caelum se tollunt,
Haud aliter ad domicilium summum renones volaverunt,
Traheam portantes plenam oblectamentorum
Atque Nicolaum Sanctum.
Deinde in tectis ungulam omnem
Pulsare et exsultare audivi.
Ex fenestra caput meum amovi et me avertebam
Cum de ducto fumario veniret Nicolaus Sanctus — saltu.
Ab capite ad pedes pelle ferae vestitus est,
Et amictus cineribus fuligineque niger factus erat.
Os eius festivum erat simile arcui
Et barba in mento erat tam cana quam nix.
Infurnibulum parvum dentibus tenuit,
Et fumus caput eius circumbat ceu corona.
Saccum oblectamentorum in tergo portabat,
Et eum aperturus, visus est qui per vicos mercetur.



Quam scintillantes oculi! Quam festivae lacunae!
Genae eius rosae, nasus eius cerasus visus est.
Faciem latam et ventrem parvum rotundumque habuit,
Qui quatiebat quandocumque risit
Quasi crater plenus iuris gelati.
Erat pinguis nitidusque, numen hilare et vix humanum,
Atque risi cum eum viderem quamquam in animo hoc non erat.
Nictu oculi et nutu capitis
Mox mihi indicavit nihil ad timendum me habere.
Nullum verbum dixit, sed statim laborare incepit.
Tegimina cruris omnia complevit, deinde subito se vertit,
Et digito latus nasi tangens.
Nutansque, per ductum fumarium se sustulit.

In traheam saluit, renonibus sibilavit,
Et ceu pluma cardui omnes avolaverunt.
Atqui eum clamare audivi dum ex conspectu se vehit:
“Omnibus festivae feriae, et valete omnes.”

FINIS

General Vocabulary

The only definitions given are those used in these six short stories. Verb forms are listed in the first principal part, but the definition is the infinitive in order to identify the word as a verb. The numbers in parentheses indicate the declension of nouns and the conjugation of verbs.

A

ab = from, by
abdo (3) = to hide, bury
abhinc = ago
abicio (3) = to discard
absum = to be absent, away, missing,
 gone
accedo (3) = to approach
accendo (3) = to light (fire)
acerbus = bitter
acciingo (3) = to fasten on
accipio (3) = to receive
accurate = critically
accusator (3) = prosecutor
acer = severe, keen
actio (3) = action
ad = to, for, toward
adamantinus = of diamonds
adamo (1) = to fall in love
addo (3) = to add
adhaereo (2) = to cling
adhuc = till now, still, yet
adipiscor (3) = to get
aditus (4) = doorway
administer (2) = assistant
admiratio (3) = admiration
admiror (1) = to admire
adnuo (3) = to nod
adorno (1) = to adorn, decorate
adsum = to be present
advenio (4) = to arrive
adventus (4) = arrival
adversus = across from, opposite
 [neut. pl. = adversity]

aedificium (2) = building
aedis (3) = building
 [pl. = apartment building]
aeger = sick
aemulus (2) = rival
aenigma (3) = riddle
aeneus = bronze
aequus = calm
aer (3) = air
aeratus = bronze
aerius = belonging to the air, airy
aestas (3) = summer
 [Aestates (pl.) = Summers]
aestimo (1) = to value, calculate
aetas (3) = youth, age, life
affero = to bring
affectus (4) = feeling
affulgeo (2) = to light up
agito (1) = to shake
ago (3) = to do, live, drive
 [imperative = come now!]
 [celerius ago = to race (a
 motor)]
agricola (1) = farmer
aio = to say
ala (1) = wing
alacer = agile, lively
alacrity = in a lively manner
alauda (1) = lark
albus = white
alicubi = somewhere, anywhere
alienus = strange
aliquantum = somewhat
aliquantum (2) = a considerable
 amount

aliquis = somebody, any one,
something
aliter = otherwise
alius (gen. alterius) = other, another
[alius...alius = one...another]
aliquot = some
alligo (3) = to tie
alloquor (3) = to speak to, address
alte = high
alter = the other (of two)
[alter...alter = the one...the
other, each other]
alterno (1) = to alternate
altus = tall, high, deep
[Corvigradus Altiores = Higher
Crowstairs]
alvus (2) = bee hive
amabo = please
amator (3) = lover
amatorius = love (adj.)
ambages (3 pl.) = obscurity,
ambiguity
[per ambages = inscrutably,
enigmatically]
ambigue = vaguely
ambo = both
ambulatio (3) = sidewalk
ambulo (1) = to walk
amicio (4) = to clothe
amicitia (1) = friendship
amicus (2) = friend
[as adj. = friendly]
amitto (3) = to lose, forget
amo (1) = to love
amoenitas (3) = charm, pleasant-
ness
amoenus = pleasant, attractive
amor (3) = love
amoveo (2) = to remove, withdraw
amplector (3) = to hug
amplius = greater amount, further
an = whether
anatocismus (2) = compound
interest
ancilla (1) = maid
angiportum (2) or -us (4) = alley

Anglicus = English
angulus (2) = corner
anima (1) = soul
animadverto (3) = to notice
animalis (3) = living creature
animus (2) = mind, mood, wit, heart
[pl. = courage]
annus (2) = year
ante = before, in front of
antea = previously, before
antequam = before
anticus = front
antiquus = ancient, aged, old, old
fashioned
anus (4) = old woman
aperio (4) = to open
apertura (1) = duct
apertus = open, exposed
apis (3) = bee
apparatus (4) = apparatus, equipment
[horreum apparatus belluci =
ammunition dump]
appareo (2) = to appear
appello (3) = to speak to
appetitus (4) = longing
appropinquuo (1) = to draw near
apricus = sunny
apto (1) = to fit, fasten, adjust
aptus = suitable
apud = near
[apud se = in one's right mind]
aqua (1) = water
[aqua vita = brandy]
aquila (1) = eagle
araneum (2) = cobweb
araneus (2) = spider
arbor (3) = tree
[arbores globo densi = clump of
trees]
arca (1) = casket
arcus (4) = bow
ardeo (2) = to burn, glow, be eager
ardens = excited
area (1) = courtyard
[area vehicularum = parking lot]
[area ovibus = ewe lease]

argentarius (2) = banker
argenteus = of silver
argentum (2) = silver
aridus = dried up
armarium (2) = cupboard, cabinet
armilla (1) = bracelet
aroma (3) = spice
arrideo (2) = to smilears (3) = skill, workmanship
artifex (3) = artist
as (3) = cent, penny
ascendo (3) = to climb, go upstairs
asper = inclement, harsh, rugged
aspere = sternly
aspergo (3) = to spray, splash
aspersio (3) = spray
aspicio (3) = to look, glance at
assentio (4) = to agree
assideo (2) = to sit beside
assido (3) = to sit down
assuefacio (3) = to make accustomed
assula (1) = splinter
assuo (1) = to sew
[sacculus in vestimento assutus = pocket]
ater = dark
atque = and
atqui = but
atrium (2) = living room
attentus = frugal
attingo (3) = to resemble
attollo (3) = to raise up
[se attollo = to get up]
attonus = amazed, horrified
auctoritas (3) = authority
audeo (2) = to dare
audio (4) to hear, listen to
augeo (2) = to increase
augesco (3) = to increase
aureus = gold
auriga (1) = charioeteer, driver
auris (3) = ear
[in aure dico = to whisper]
aurora (1) = dawn
aurum (2) = gold

ausculo (1) = to listen
Australis = Southern
aut = or
[aut...aut = either...or]
autem = however, moreover, on the other hand
auxilium (2) = help
avello (3) = to tear away
aversus = disapproving
averto (3) = to turn away
avidus = eager, greedy
avolo (1) = to fly away
avus (2) = grandfather

B

baculum (2) = staff
baleum (2) = bath
baptisma (3) = christening
barba (1) = beard
Basilica (1) = cathedral, courtroom
beatus = successful
bellicus = of war
[horreum apparatus bellici - ammunition dump]
bellus = beautiful, charming, pretty
Benbov (3) = Benbow
bene = fine, good, well
benigne = cordially
Berg (3) = Berg
bibliotheaca (1) = study
bis = twice
blandus = flattering
bonus = good
[n. pl. = good things, possessions]
bracchium (2) = arm
brassica (1) = cabbage
brevis = short
breviter = in short
Britannia (1) = England
Britannicus = British
buccellatum (2) = biscuit
bulla (1) = bubble

C

cachinno (1) = to chuckle
cachinnus (2) = laugh
cado (3) = to fall, fall dead
caedes (3) = death
caelo (1) = to engrave, cut
[vitrum caelatum = cut glass]
caelum (2) = sky
calamister (2) = curling iron
calamus (2) = pen
calidus = hot
caligo (3) = fog
callide = slyly
calor (3) = heat
[calor corporis = (body)
temperature]
camena (1) = room
candelabrum (2) = candlestick
candidus = fair complexioned
caninus (adj.) = dog
canis (3) = dog
[canis venaticus = hunting dog]
cano (3) = to play, sing
canorus = musical
cantator (3) = singer
canto (1) = to sing
voce summissa canto = to
hum]
cantus (4) = song
canus = white, gray
capiro (3) = to grasp, take, capture
capsa (1) = box
[capsa epistulis = mailbox]
capsula (1) = little box
captivus (2) = prisoner
caput (3) = head
carcer (3) = jail
cardus (2) = thistle
careo (2) = to need, be without, lack
carmen (3) = song
caritas (3) = affection

carnifex (3) = hangman
caro (3) = meat, flesh
[carnes cum condimentis elixae =
stew]
Carolus (2) = Charles
carus = dear
casa (1) = hut, cottage
castra (2 pl.) = camp
catella (1) = chain
catellus (2) = puppy
Casterpons (3) = Casterbridge
caupo (3) = shopkeeper
causa (1) = reason
[causa in abl. + gen. = for the sake
of ,in order to]
cautus = cautious
cavillor (1) = to dicker
cedo (3) = to grant, say yes, give way to
celeber = crowded
celeritas(3) = quickness,speed
celeriter = quickly, speedily
celo (1) = to hide
cena (1) = dinner
cenatio (3) = dining room
centesima (1) = cent
centrum (2) = center
centum = one hundred
cera (1) = candle
cerasus (2) = cherry
cerno (3) = to notice, discern
